





CHRIST ... Autor,
... rum,
Dum ... eius esto
... liber!

39. VI. 21.

1.

Notandûm ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XVIII.

& Vltima.

COLLEGII CORPORIS DO-
ctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE QVAE-
STIONIBUS IN SY-
NODO REGIOMONTANA

A. 1567. dieb. 26. 27. 28. Mens.
Maij ventilatis.

SVB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLEN-

tæ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr.
linguæ Profess. Ordinar. Consistorii
Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

Daniele Martini Dan-
tiscano,

Publicè in Auditorio Majori
28. August. habenda.

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.



Disputatio XVIII.
& Vltima.

DE QVÆSTIONIBUS IN SYNODO REGIOmontana A. 1567. dieb. 26. 27. 28. Mens. Maij ventilatis.

Respondente.

DANIELE MARTINI Dantisc.



Ostquam Articuli ex doctrinæ Corpore Prutenico hactenus declarati, Pastoribus ad synodum convocatis exhibiti essent; pleriq; eorum ulteriorem inquibusdam doctrinæ capitibus desiderarunt explicationem: Quinque autem annotatæ sunt in libello nostro quæstiones insynodo ventilatæ 1. *de synergismo*, quemnam autorem γνήσιον agnoscat? 2. *de bonis operibus*; utrum Phrasis illa: *Opera bona esse necessaria ad retinendam fidem*, sit retinenda? 3.

de loco 1. Pet. 3. v. 21. Utrum recte allegatus sit in loco de sacramentis in genere? 4. de *Parentum fidelium liberis*, utrum sancti à *Calvino* statuantur à primâ conceptione, & nativitate? Et num damnatio *Exorcismi* sit extenuatio peccati originalis? 5. Quomodo Exorcismus à quibusdam in actu baptismi intermissus aliquandiu; postliminio quasi sine scandalo, possit reduci in Ecclesiam?

2. Extat vero subjecta Dn. *Morlini* & Dn. *Chemnicii* ad singulas quæstiones sufficiens, & plenaria responsio; ita, ut pius lector nil quod desideret, habeat.

3. Ad *primam* respondetur: in taxatione uti omnis corruptelæ; ita synergismi procedendum esse ἄευ προσωποληψίας vel personarum respectu: quare meritò sine determinatione, & restrictione ad certam personam, vel locum, Schisma illud ab nostris auctoribus fuisse ex Verbo Dei refutatum.

4. Ad *secudam* procedendo ad impossibile seu absurdum consequens respondetur: Concessa enim propositione illa; quod bona opera sint necessaria ad retinendam fidem: utiq; & hæc omnino retinenda erit, quod bona *opera ad salutem* sint *necessaria*. Id quod absurdum esse declaratur argumento *à simili* ducto, quà arborem, & fructus: hi enim aliâs essent necessarii ad arborem bonam; si illa propositio obtinere deberet.

Deind

Deinde *ostensivè ac directè* monstrando: eundem esse auctorem & consumatorem fidei i. e. ipsum Christum *Hebr.* 12. *v.* 2.

5. Ad *Tertiam* respondetur 1. *Pet.* 3. *v.* 21. actionem salvandi ad aquam in Baptismo esse referendam. Idq; confirmatur 1. ex *articulo græco* ὁ scilicet ὕδωρ: quæ aqua baptismi antitypica nos salvat 2. ex versione B. *Lutheri* in Bibl. Germ. Welches (nemlich Wasser) nun auch vns selig macht in der Tauffe &c. 3. ex *declaratione* loci, in scripto circa doctrinam de *sacramentis* præmissâ 4. ex *Catechesi Lutheri* de aquâ, quæ Verbo Dei comprehensa, & mandato ejus conjuncta sit.

6. Ad *Quartum*: sententia *Calvini* erronea copiosiùs proponitur & evincitur de *sanctitate* liberorum à Christianis parentibus procreari solitorum: *partim* ex *Commentariis* in *Genesin*, *partim* ex *Institutionibus* præsertim *lib.* 4. *cap.* 15. 16. (*vel cap.* 17. §. 33. *edit. Genev. Anno* 1550. *in* 4*to*) *partim* deniq; ex 1. *Cor.* 7. in Commentario &c. monstrata simul erroris refutatione ex *dicto Gen.* 17. suprà dilucidato 2. de *extenuatione peccati Originalis*, ob damnationem Exorcismi, quippe statuit liberos fidelium ante baptismum non esse in regno Diaboli, ejusq; laqueis: utiq; eadem opera extenuat miseriam, cui infantes ante baptismum sunt obnoxii, simulq; peccati originalis atrocitatem tollit contra scripturam *Ioh.* 3. *v.* 6. *Ephes.* 2. *v.* 2 *Psal.* 51. *v.* 7. *Iob.* 14.

7. Ad *Quintam* 1. probatur *Consensus* omnium Pastorum, quod *non damnent* Exorcismum: 2. proponuntur argumenta, cur Exorcismus damnari nequeat, ob similem sententiam Christi *Luc.* 11. Nec quidem debeat privato ausu, & sine publicâ deliberatione; ad evitandas contentiones non necessarias, turbas, & distractiones inhisce Ecclesiis, sæpiùs miserum in modum turbatis, & laceratis: 3. suggeritur *Consilium* tùm iis, qui Exorcismum abrogarunt, ut caussas abrogationis indicent, nimirum, non fuisse usum Exorcismi proscriptum; sed pensi habitâ Ecclesiæ pace, mandato superiorum locum relinquendum; *tum* iis, qui Exorcismum retinuerunt, ut populum informent: 1. *Exorcismum esse illustrem & solemnem Confeßionem Ecclesiæ depeccato Originali*, 2. Exorcismum *non esse necessarium, ut substantialem* Baptismi *partem*: utpotè sine qua is integer esse possit: 4. *Episcopis* injungitur *prudens circumstantiarum consideratio* in Visitationibus quomodo usus Exorcismi sit restituendus; vel ubi restitutio illa sit suspendenda usq; ad Ecclesię pristini ejusq; floridi status recuperationem; ex quo Osiandristicis perniciosis distractionibus deturbata erat 5. *Pastoribus* in vicinis Poloniæ & Lithvaniæ locis degentibus non permittitur omissio Exorcismi in gratiam adversariorum: ne alioquin omissio ejusdem sic accipiatur, ac si sit testimonium *Confeßionis*, & *Confes-*

Confirmationis falsi adversariorum dogmatis de Baptismo Infantum; non sine participatione ipsorum Balsphemiæ, & ingenti Ecclesiæ dispendio.

8. Atq; hæc est brevis summa eorum, quę *tum* quærendo; *tum* respondendo in commeratâ synodo fuere ventilata. Ubi etiam subjicitur *consensus unanimis*, & *omnimoda approbatio* Declarationis hactenus expositorum articulorum, ab universa synodo, additâ simul omnium & singulorum, quotquot synodo interrant, per manus subscriptionem obsignatione, & solemni quadam obligatione; uti legere est in Catalogo, ad LXXXVII. nomina Ecclesiæ *Ministrorum*, ex diversis hujus Ducatus provinciis in synodo congregatorum, ab iis ultrò subscripta.

9. Ac ingens Dei donum est, omnibusq; totius mundi thesauris & divitiis longè præferendum, quod ab eo quidem tempore, non solùm jam commemoratorum Ecclesiæ Ministrorum in synodo illâ congregatorum successores; verùm etiam aliarum Ecclesiarum universi huj9 incluti Ducatus Prutenici Theologi, Pastores, & Diaconi, tùm in Ecclesiæ populari cætu; tùm in Academiâ docentes ad hunc usq; diem; repurgatam illam ab omnibus mendis, erroribus & futilitatibus quorumvis Hæreticorum, doctrinam in *Corpore nostro Prutenico* traditam, explicatam, vindi-

catam, & commendatam, invariatam, constanter retinuerint; ac *partim* vivâ voce; *partim* etiam scriptis Ecclesiæ proposuerint. Id quod sanè non casu; non humanis viribus; non humanis armis; aut præsidiis, non denique consiliis, sed merâ Dei gratiâ; paternâ erga Ecclesiam providentiâ, ejusq; admirando præsidio, nutu, & omnipotenti auxilio, frustrâ frendente, ringente, ac varias technas struente Diabolo; factum esse, nemo facilè pius, inficias iverit; qui modò, Ecclesiarum harum statum planè miserum, depressum, & turbulentum in quo sine certo ordine, & Regimine Ecclesiastico, quadraginta ferme annorum spacio ad hæc usq; tempora extremè mala perdurarunt; cordatè secum expenderit.

10. Quanquam & hoc neutiquam diffiteamur in multis piam *Illustrißimi* quondam *Principis* nostri constitutionem violatam esse; introducto in hancce regionem *Papatu*, & *Calvinismo*; cuniculos simul agentibus *Anabaptistis*, & *Arianis*, iisq; impunè colonias erigentibus, & domos incolarum citra ullam animadversionem occupantibus: Ast cujus culpa? non *Davo* certè; multo minus *Oedipo* interprete opus est: Theologi equidem quod sui erat officii, fideliter egerunt 1. Puriorem doctrinam docendo, Ecclesiæ proponendo; & contra falsitatem & omnis generis incursus adversa-

versariorum propugnando, & defendendo: pristini ordinis, ejusq; laudabilis restitutionem urgendo. Id verò quod minimè assecuti sint, ejus rei rationem reddere Deo tenebuntur; qui *vel* partium studia sectantur, *vel* falsæ religioni ex animo favent, orthodoxam verò specietenus simulant, intus autem odio plusquam Vatiniano prosequuntur; *vel* mundana imprimis acquirendo, res sacras negligunt; *vel* admodum tepidè curant; *vel* ordinem sacrum despicatui & vilipendio habent, imò quibuscunq; possunt modis, eidem nocent, & obsunt.

11. Quo sanè pacto gravissimum in conspectu Dei peccatum, ac scelus incurrunt; eoq; ipso Deum ad pœnas temporales & spirituales toti regioni Immissas irritarunt, & ad longe graviores immittendas irritant: qui etiam ex justo suo judicio verbi divini ac nobis concrediti thesaurum aufert, locoq; ejus hæroses grassari, ac earum lolio infausto tritici semen suffocari; aures auditorum obturari; oculos excæcari; corda indurari permittit.

12. Evidens hujus rei argumentum est, quod plurimi in hoc Ducatu sinceram doctrinam fastidiant; ac Calvinisticam, vel Papisticam appetant. Nec frustrantur etiam suo appetitu, quoties impunè sparsa ejusmodi Adversariorum scripta avide legunt & in majori

longè pretio, quàm doctrinam puriorem habent, Adversariorum muscerdam forinsecus fuco plausibili illinitam; intus vero veneno occulto impletam, saluberrimis orthodoxæ doctrinæ pascuis anteferre non dubitant. Qui etiam esuriem istorum hominum admirabundi, novas in dies chartas huc transmittunt: in vulgus liberaliter dispergunt; hocq; pacto in nassam suam incautos pertrahunt, ac inescant. Factum hoc aliquoties non ita pridem à *Pontificiis*, fieri verò à *Calvinianis* in singulos dies non sine mœrore experimur. Nunc enim visuntur eorum *Conversationes Prutenicæ*; nunc *quædam conciones*; nunc *hypotyposes*; nunc *emendationes* A. Confess. nunc **Vngrundliche Grundfest vom Abendmal**/ nunc *defensiones* corruptæ Agendæ nostrarum Ecclesiarum. A. 1558.

13. Et quia commemorata illa scripta jugulum Orthodoxæ religionis petunt, & *pleraq;* in perniciem omnium Ecclesiarum Lutheranarum fabrefacta; *pleraq;* ad nostras Ecclesias in specie directa sunt: Vanitatem plerorumq; suo loco deteximus *partim*, *partim* verò ea confutandi pleniùs, provinciam aliis detulimus, & reliquimus; *partim* ad commodiùs otium conatum nostrum distulimus. In præsentiarum verò committere non possumus quin judicium nostrum de ultimo scripto. **Von der Alten Kirchenordnung welche**

vorzeit

vorzeiten im Hertzogthumb Preussen gebreuchlich gewesen / ex bono publico communicemus, idq; prægnantibus de caussis tùm in genere; siquidem 1. & prima nostra disputatio hujus Collegii tectè adeoq; suppresso nomine pungitur in præfatione: 2. Corpori Doctrinæ Prutenico Agenda illa quoad doctrinam & Ceremonias antefertur (das dieselbige in der Lehr vnd ceremonien reiner/ vnd gesunder sey/als das hernach ausgegangene vnd jtzt alda in Kirchen gebreuchliche *Corpus Doctrinæ*) *tùm* in specie, quia Ecclesiarum nostrarum sententia, ut & omnium Ecclesiæ ministrorum, qui Synodo illi commemoratæ intererant, turpitèr traducitur, & exploditur. *Primo* circa Quæstionem Quartam, ut & Responsionem 1. *de nullitate* sanctitatis liberorum ex piis parentibus procreatorum 2. de *extenuatione* peccati originalis Calvinisticâ, ob damnatum Exorcismum. *Deinde* circa *Quintam* de usurpando, & restituendo Exorcismo.

14. Infarciuntur adhæc nonnulla de Christi personâ, ut & Gynæcobaptismo in præfatione:

15. Singula membra particularem merentur discussionem: nunc verò eam ob temporis angustiam, in qualem pestis grassantis violentia nos conjicit, secessumq; urget; differimus;

ferimus; reassumtis illis duntaxat controversiis, quę circa ventilatas duas posteriores Quæstiones nostri libelli inter Synodales agitabantur, & decidebantur. Priores enim *tres* quod attinet, nullam ampliùs pariunt difficultatem: decisio quippe earum sigillatim, fuit suppeditata. *Prima* enim *officium Pastorum* concernit; de quo in disputat. præcedenti: *Secunda* certamen *synergisticum*; de quo *disputat.* IX. *Tertia* Papistico Interimistico-Majoristico-Calvinistico-Photinianum: de quo disputat. X. & XI. ex professo egimus.

16. Cæterum in gratiam Tenebrionis ac lucifugæ Calviniani, seriem Materiæ Controversæ inq; Quæstionibus nostris ventilatæ, ex liberalitate nostrâ immutabimus, ac priùs de *Exorcismo*; *postmodùm* verò *de Sanctitate* Calvinisticâ liberorum ex piis parentibus procreari solitorum, quam Sacramentarius ex 1. Cor. 7. adstruere satagit, breviusculè differemus. Tertiò sententiam nostram ab injuria adversariorum de *extenuatione peccati* Originalis & Efficaciæ Baptismi in scholâ Calvinianorum, vindicabimus.

De Primo, ubi Quæritur.

Vtrum Exorcismus in ritu Baptismi observandus & adhibendus?

1. Negant *Calviniani*, uti cuivis satis notum in Ecclesiâ: quam in sententiam per-

quàm

quàm plurima ab iis prodierunt scripta olim; & nuper, in commemorato *tractatu Calvinistico* von der Alten Kirchenordnung / caussæ abrogati Exorcismi *in Agendâ illa Prutenicarum Ecclesiarum* Anno 1558. ex quodam scripto A. 1559. sine mentione auctoris ad Ecclesiarum harum Pastores directo, recensentur. Nullum autem dubium nobis est, auctorem formulæ illius *Crypto-Calvinisticæ* fuisse D. *Aurifabrum* quondam *Præsidentem* tractuum *Sambiensis & Pomezaniensis*: id quod patet ex *Apologiâ*, ipsius ad status *Borußiæ* A. 1566. 18. *Decemb.* durantibus comitiis *Regiomonti*, contra *Benedictum* Morgenstern exaratâ; ubi verba (circa Articuli secundi finem) *Apologiæ* sic habent: Waß aber sonsten ferner vom *Exorcismo* zuberichten/ist zum theil in einem besonderen tractetlein / welches An. 1559. ist ausgangen/ geschehen/ etc. Accusatus nimirum *Aurifaber* homo versatilis Crypto Calvinismi â quibusdam Pastoribus hujus Ducatus, ob omissum Exorcismum, caussas facti in *Formulari* illo populo à Pastoribus prælegendo exponit: An verò sufficientes, paulò post indicabitur, & suo loco, ξὺν θεῷ plenius.

2. Affirmant *nostrates* Orthodoxi, uti ex scriptis, & praxi quotidianâ notum; & ab illo tempore quo *Corpus Doctrinæ* in hoc Ducatu incluto in Ecclesias introductum, simul ce-

remonia

remonia illa strictè observata, ad hunc usque diem in hisce Ecclesiis fuit, juxta normam Agendæ à Dn. Morlino Dn. Chemnicio & cæteris Theologis, consensu omnium provincialium, durante conventu Regiom. conscriptæ.

3. Antequam verò sententiam Orthodoxam in medium proferamus, ad meliorem *status Controversiæ* formationem, terminorum ex parte *subjecti*, & *prædicati* Quæstionis evolutionem, & determinationem præmittemus.

4. Ex parte *Subjecti* occurrit terminus *Exorcismi*: quem *quidam* derivant ab Orco, videlicet *Calviniani* idq; in odium hujus piæ Ceremoniæ. Hinc *Lucifuga* in suis chartis sub finem.

Exorcismus habet maledictum nomen ab Orco,
Ex Orco siquidem prodiit illud Opus.

5. Ubi *tenebrionis* illius notanda & *inscitia* & *ignorantia* Crassa, Exorcismum ab Orco, sed per omnia falsissimè, derivantis; cum tamen aliam agnoscat nomenclationem, uti jam jam explicabimus: aut certè *malitia & protervia*, opus illud seu ceremoniam Exorcismi prodiisse, vel ortum ac originem ex Orco, vel *inferno* traxisse non sine *Lucianismo* contendentis, cum tamen ab antiquâ Ecclesia, piisque ejusdem doctoribus bono fine usurpari cœperit, puta post *Apostolorum* tempora à *Tertulliano*, *Cypriano Gregorio Nazianzeno*, *Ambrosio*, *Optato Milevitano*, *Augustino Gregorio M. Isidor. Beda &c.* qua de re infra.

6. Nostri

6. Nostra sententia est, Exorcismum esse derivatum à Græco ὅρκος, quod denotat jusjurandum, estque παράληψης τῦ θείυ ἐπιπίστιν τῦ λεγομένυ, τι πρατ]ομένυ παρὰ τὸ ἔρειν παραβαίνον]ας apud *Suidam*, & *Varin*: (aliàs dicitur ὅργος, per mutationem litterarum) quod quidem nomen est *verbale*, descendens ἐκ τῦ εἴργω (unde etiam ἕρκος aliâ formâ) h.e. ἐγκλείω includo καθείργηαι γὰρ πῶς ὁ ὀμνύων οἷς ὁμολογεῖ: includitur enim aliquomodo qui jurat, iis quibus confitetur. *Vel* alia forma eaque vetustiori παρὰ τὸ ὅρος ἀρσενικὸν, h. e. à *termino descriptione*, & *fine*, ὁρίζονται γάρ τι ὁμολογητικῶς οἱ ὀμνύοντες: determinantur enim intra certas confessionis metas Sacramentum præstantes. *Potior* tamen Etymologia *prior* videtur. Unde oritur ὅρκος jusjurandum: in Plurali ὅρκοι h. e. δεσμοὶ *vincula*: exinde derivatur verbum ὁρκόω & ὁρκίζω adjuro: unde ἐξορκίζω & ἐπιορκίζω, à quo postmodum ἐξορκισμὸς, & ἐπιορκισμὸς.

7. Exorcismus igitur hinc descendens non uno sensu capitur. Idem verò *primò* significabit, ac juramento aliquem astringere, vel juramentum ab aliquo accipere, ut sit idem ac ὅρκυς παραλαμβάνειν ex sententia *Demosthen.*

mosthen. ὑπὲρ ςεφαν : & *Xenophon.* in Sext. ἡλληνικ :

Deinde denotabit *liberationem* ab obligamento aliquo, sub alicujus potestate ; si attendamus originem, ex plurali ὅρκος h. e. δεσμοὶ vincula, σφραγίδες obsignationes apud Varinum.

Tertio innuet *postulatum, praeceptionem, petitionem*, cum intimo cordis affectu conjunctam : quæ significatio in N.T. occurrit Matt. 26. v. 63. Marc. 5. v. 7. 1. Thessal 15. v. 27 ubi ἐξορκίζειν, ac ὁρκίζειν idem est ac præcipere, postulare anxiè, conscientiam alicujus obtestari, estq; *Hebraismus*: uti videri poterit Gen. 24. v. 3. Numer. c. 5. v. 19. 21. Cantic. c. 2. v. 7.

Quartò significabit ejectionem ; excommunicationem, ac profligationem alicujus ab aliquo ; quo sensu capitur Act. 19. v. 12. Hinc *Exorcistæ*, h. e. ejectores, vel expulsores Dæmoniorum ex hominibus corporaliter obsessi alias energumenis dictis. Dicitur in hoc significatu *Exorcismus* alias ἐόρκησις ; estqu Δαιμζώνων ἐξαίρεσις interprete *Varino* h. e. Dæmonum Excommunicatio.

Quintò possemus citra absurditatem hanc insuper addere significationem, si dixerimus Exorcismum nil aliud esse quàm *præparatio*nem ad sacra; *consecrationem*, *devotionem*: ita

Exo

Exorcismus idem sit, ac ἐξοργιασμὸς, ἀπὸ τοῦ ἐξοργιάζειν ad sacra consecrare, præparare, devotum facere, apud Platon. *in Phædro* & Arist. *lib.* 8. *Politic.*

8. Nunc quæritur: *quonam sensu Exorcismus in Quæstionem præsentem veniat?* Pontificii quartam significationem arripiunt, contendentes Diabolum per Exorcismum ex infante esse profligandum: uti scribit Becan. *Manual.* l. 4. *cap.* 8. *Exorcismus* est inquit, *quo Diabolus expellitur ab homine baptizando, ne baptismum, vel fructum ejus impediat* p. 626. ibidem statuit: *Diabolum per Exorcismum expelli à Corpore, & sensibus; à corpore*, ne illud strangulet ante baptismum; à *sensibus*, ne postea infantes cum adoleverint, per illusiones, aut terrores impediat illos in vitâ spirituali, quam in baptismo acceperant. Quam superstitiosam sententiam Calviniani nostris Ecclesiis, præter omne meritum affingunt: a quâ tamen planè sunt alienæ, & antehac semper fuêre. Cæterum retinent Ecclesiæ nostræ usum Exorcismi in *prioribus* illis *duabus significationibus*, secundâ tertiâ, (ut & Quinta) quatenus videlicet Exorcismus adhibetur *partim* ceu ad Sacra baptismatis peragenda *præparatio*, infantis ex potestate Diaboli ereptio & Deo consecratio; *partim* ad denotandam *liberationem, ac exemptionem* infantis ex vinculis & potestate Principis hujus mundi; in quam ob labem origi-

nalem primævam devenerat: ita ut *Exorcismus*
sit nil aliud, quam *Ceremonia Diabolicæ potestati*
imperio, ac obligationi renuncians; ac infantis li-
berationem ex vinculis Mali Spiritus denuncians;
partim ad denotandam juris ac imperii Dia-
bolici *inhibitionem*, quæ baptizatis in actu ipso
baptismi conferatur & obsignetur. Hoc jam
sensu Ceremoniam Exorcismi in ritu baptismi
usurpari, & adhiberi piè posse, statim proba-
bimus.

9. Ex parte *prædicati*: ubi à quæstione
removemus; ac si Exorcismus esset 1. vel de
essentiâ Baptismi: ultro enim fatemur, sine
eo baptismum esse *integrum*, si omissus fuerit
2. vel de necessitate *mandati* divini: statuimu
enim eum esse *Ceremoniam* ex libertate Eccle
siç introductam, & bono fine usurpari solitan
in ritu baptismi; adeoq; quoddam ἀδιάφορον
quod *nec* mandatum; *nec* prohibitum sit: 3. ve
de *necessitate finis* sive medii, aut *efficaciam* co
cernentis, aut ad *cultum* divinum spectantis
talis enim nititur expresso Dei mandato; at
ad *opinionem meriti* ex parte agentium facien
tis: hæc enim ad Papicolas remittitur; Ut i
super negemus effectus illos salvificos, ac su
pernaturales, ut sunt *regeneratio*; *liberatio*
potestate Diaboli, *reatu* peccati, & maledicti
nis divinæ; *remissio* peccatorum, & *adopti*
in hæredem vitæ æternæ, ab Exorcismo a
hibito proficisci; sed eos omnes baptismo

solidus

solidum adscribimus Tit. 3. v. 5. Gal. 3. v. 27. Eph. 5. v. 26. Gal. 3. v. 21. Act. 2. v. 38. 4. vel de *necesßitate facti*, negamus enim lubentes, Exorcismum si in ritu baptismi omissus fuerit (id quod in casu necessitatis evenire solet.) esse postea adhibendum unquàm, vel supplendum, siquidem citra eum *tum* essentiæ Baptismi; *tum* efficaciæ sua manet integritas, ac perfectio citra adhibitum Exorcismum. Nec 5. urgemus *necesßitatem* universalitatis *objecti*: ita ut si quando adulti baptizantur, Exorcismus omitti possit. Nec 6. *Necesßitatem* universalitatis *Temporis*; ita ut, si toti Ecclesiæ visum fuerit; ceremoniam hancce *vel* ad tempus suspendere; *vel* penitùs citra læsionem conscientiæ idipsum exequi queat; si hoc inquam, factum fuerit certis de caussis, libertatem Christianam non petentibus; aut postulatis Adversariorum urgentibus.

10. Sed hoc in Quæstionis Cardine vertitur: *Vtrum*, quoties infantes in Ecclesiis nostris sacris baptismatis initiantur, *simul in ritu baptismi, adhibenda sit liberè talis ceremonia, quæ in Infante baptizando peccati originalis atrocitatem, & tyrannidem immanem ob oculos astantium ponat, & exaggeret, adeoq; necesßitatem baptismi omnibus modis urgeat, & vice versa; Diabolo divinum opus denunciet, quod ipse Deus per baptismi administrationem in baptizando operaturus sit, destruendo opera Diaboli, ac novum regni sui seminarium*

rium plantando? *Calviniani* negant: *nos* affirmamus, & probamus sequentibus argumentis:

Confirmatio.

I. Argumentum *primum* desumimus à *natura, & conditione* Exorcismi: est namq; (ce-*remonia* vel *ritus*) *liberâ potestate Ecclesiæ in ritu baptismi adhibitus; ad bonum & salutarem fi-nem.* Quod autem sua natura tale est; in Eccle-sia omninò liberè adhiberi potest.

II. Deinde, quia licet Exorcismus non sit specialiter mandatus (uti nec prohibitus) continetur tamen in Dei verbo *generaliter*, ut *præceptivo*, ita *promißivo*: quatenus cum De Verbo convenit, habens sibi propositum bo num finem. Juxta illud 1. *Cor. c.* 14. *v.* 27. o mnia ad ædificationem. Et sicuti utriusq; ve bi tàm *mandati*, quam *promißionis* duplex est fi nis, *mandati* quidem 1. *accusare*, & refrænar internam concupiscentiam 2. *regere* exte nam locomotivam: *promißionis* verò 1. Sp *rituatis* seu collatio *boni* interni, in animi cu ratione, & sanatione consistentis. 2. *Corpor lis*, seu collatio boni externi. Ita quoq; Exo cismi finis est 1. *admonitio* nostri de *Origina* malo in nobis habitante: ut & de Diabo *Tyrannide*; cui homo ab utero subjectus es cum ante baptismum sit filius iræ, adeoq; e *tra* fædus Dei, & *contra*; detineatur in vinc lis, & captivitate *Diaboli*: 2. *externum Symb-*

lum

lum tùm *efficaciæ* Baptiſmi, tum *confeßionis* noſtræ propter Adverſarios, puta *Pelagianos*, *Anabaptiſtas*, *Calvinianos*, & alios *Fanaticos* Originale peccatum vel directè vel indirectè oppugnantes.

III. *Tertio à defectu* firmarum rationum contrariæ partis, ut in Examine objectionum videbimus.

IV. *Quartò* ab auctoritate primitivæ Eccleſiæ: in *primo*, ſtatim poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora, ſeculo; uſurpatus hic ritus eſſe legitur ab Antiquis Patribus. Reperitur enim apud *Tertullian*. lib. de præſcript. c. 41. *Apolog. contra Gentes* 32. Cyprian. *lib.* 2. *Epiſt*. 2. *lib*. 4. *Epiſt*. 7. Gregor. Nazianzenum *in orat. de baptiſmo*. Ambroſ. *lib*. 1. *de Sacramentis* c. 5. Auguſtin. *pluribus* in locis, præſertim *de dogmatib. Eccleſiaſt*. c. 31. *Epiſt*. 105. *lib. de fide & operibus* c. 6. *lib*. 10. *de* C. D. *cap*. 22. *lib*. 6. *contra Iulian. Pelagian. cap*. 25. *lib*. 1. *de peccat. merit. cap*. 34. *lib*. 2. *de Gratia Chriſti & peccat. Orig. c*. 46. *lib*. 4. *de ſymbol. c*. 1. *lib. de nuptiis & concupiſcentia* c. 20. *& lib*. 2. *cap*. 18. *&* 29. Leon. *ſerm*. 2. *Quadrageſim*. Chryſoſt. *de Adamo & Eva* §. *illud etiam*, quod circa baptizandos, &c. Cyrill. *in præfat. catecheſeos*. Optat. Melevit: *lib*. 4. *contra Donatiſt*. Gregor. Magn. *lib. de Sacramentis* §. *Et exſufflat in faciem*; & poſt. exorcizo te immunde ſpiritus in Nom. P. F. Sp. S. &c. & *Homil*. 20. *in Evangel*. Iſidorum

Hispalens. *lib.* 2. *de offic. Ecclesia c.* 20. Bedam *super cap.* 16. *Marci &c.* Quò etiam spectat praxis Ecclesiarum Syriacarum; in quibus Exorcismus in actu Baptismi adhibetur: uti videre est in Rituali Severi, Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchæ p. 46. 47. 48. sequ.

V. *Quintò à Pelagianismo* Exorcismum proscribente: Ergo hodierni Calviniani meritò antiquis *Pelagianis* ob damnationem Exorcismi erunt annumerandi. Quod enim tunc *Augustinus* Pelagianis: idem nos hodie *Calvinianis* obvertere tutò possumus: *Nos paratiores sumus cum istis* viris (h. e. *Patribus* Ecclesiæ) *& Ecclesiâ Christi, in hujus fidei antiquitate firmatâ, quælibet maledicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cujuslibet eloquij prædicatione laudari; ex lib. 2. de nuptiis & concupiscentiâ c.* 29.

Objectionum Crypto-Calvinisticarum solutio.

Videamus nunc robur argumentorum Calvinisticorum prout ea ex Aurifabri scripto Anno 1559. edito: nunc postliminio obtrudit Tenebrio in chartis suis.

1. *Quod ex Dei Verbo defendi nequit: illud est prorsus omittendum.* Jam vero *Exorcismus ex Dei Verbo defendi nequit. E.*

Argumentum hoc exstat in allegationis rationis primæ §. Vñ haben sich Gottsfurchtige etc. Sonderlich dieweil dieselb

Exor

Exorcismi oder Teuffels beschwerung aus Gottes Wort nicht zuvertheidigen sind.

Respondeo 1. ad Majorem per limitationem: quod *nullo* modo ex Verbo Dei defendi potest, illud est prorsus omittendum. Jam negamus *Minorem*: utut enim ex Dei verbo *speciali* Exorcismus defendi nequeat, potest tamen optimè *ex Generali*, uti suprà jam explicatum.

2. Ita limitamus *Majorem*: Quodcunque ceu *pars cultus divini* vel *ut articulus fidei* ex verbo Dei defendi nequit; illud est prorsus omittendum. Et sic negamus *Minorem*, quod Exorcismus sit vel *pars* cultus divini; vel aliquis *articulus fidei*; vel morum. Ergo etiam usurpari liberè potest, licet specialiter ex Verbo Dei probari nequeat.

3. Per *Instantiam*: Quod ex Dei Verbo probari nequit, illud est prorsus omittendum: Atqui reliquæ ceremoniæ, ut *trina aspersio*, & *precum recitatio*; *confeßionis* exploratio, ac ceremoniæ in ritu baptismi Calvinistici adhiberi solitæ, ex Dei Verbo probari nequeunt. E. prorsus sunt tales ceremoniæ omittendæ. *Major* est Calvinianorum; *Minor* nititur praxi quotidiana apud *Calvinianos*. E. non poterunt negare conclusionem verè absurdam, aut si velint declinare absurdum; *vel* corrigant; *vel* abnegent oportet *Majorem* propriam.

4. *Majorem* contrariari naturæ, & conditioni adiaphororum, quippe quæ nec *mandatis* nec *promißionis* Verbum Dei præsupponunt *specialiter*: contenta solummodo *generali* illo *1. Cor. 14. v. 27.* Omnia εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως; & omnia ad ædificationem. In quocunq; igitur ritu Ecclesiastico bonum illud divinitùs *generaliter* injunctum deprehenditur; ille liberè usurpari potest ab Ecclesiâ.

II. *Quod sine detrimento, & mutatione Sacri baptismatis, ejusdem efficaciæ, & virtutis fieri potest; illud etiam obtinere in Ecclesiâ debet. Atqui abrogatio Exorcismi, sine detrimento, & mutatione sacri baptismatis, ut & ipsius Efficaciæ, ac virtutis fieri potest: Ergo abrogatio Exorcismi obtinere debet in Ecclesiâ.* Vid. *Ration secund.* im Bericht.

℟. 1. Negando *Consequ. in Majore*: nulla enim Ceremonia amplius Ecclesiæ libera relinqueretur, si ita liceret argumentari.

2. Corrigenda & supplenda est *major* hunc inmodum: Quod sine dispendio & mutatione Sacri baptismatis, ejusdem efficaciæ ac virtutis; ut & *libertatis Christianæ; destructione boni ordinis; non temerè, sed certis de caußis; non ex arbitrio unius aut alterius; sed ex consensu totius Ecclesiæ; multò minus in ullius adversariorum gratiam* fieri potest: illud obtinere in Ecclesiâ debet. Atqui sic negabitur *Minor*.

III.

III. *Si ex mente, & judicio B. Lutheri, Exorcismus sine omni peccato, & conscientiæ vulnere omitti potest; ceu res non necessaria, & nullius valoris utiq; omitti debet.* At verum prius, probat cum *Aurifabro Lucifuga* 1. ex *pædobaptismo* in articulo necessitatis administrato: 2. ex *formulis baptismi* plurium Urbium *citra* Exorcismum *á Luthero* approbatis. E. & posterius: vide *rationem* 3. im Bericht.

R. 1. Nullam esse collectionem *à posse ad debere*: *Nam & oratio Dominica, aliæ preces*, gefaste Gebeth/ vermahnung/ vnd dergleichen Ceremonien vnnd beyhendel/ æquè sine omni peccato, & conscientiæ læsione omitti possent. Ergone statim omitti debent?

2. Negamus, *Exorcismum esse ceu rem nullius valoris, & momenti*; inservit enim *bono ordini, & ædificationi*, uti suprà dictum. Ad *probationem* 1. Respondemus ex *generali regula*: *Ceremonias debere inservire ritui baptismi intellectâ exceptione casus necessitatis*: nam alioquin etiam *oratio* Dominica, *& reliquæ preces*, intermitti urgente necessitate solent; quas sane extra casum necessitatis adhibere & *honestum*, & multis modis *utile est*. Idem de usu *Exorcismi* sentiendum.

Ad *alteram* 1. *Lutherum* omissionem Exorcismi approbasse in Formulis baptizationis, ubi locorum sub initium reformationis nun

quam in Ecclesiâ Evangelica in usu fuit: nulli dubitamus id quod nihil contra nostram sententiam.

2. *Lutherum* usum Exorcismi dissuasisse, ubi sub *opinione necessitatis* ab adversariis urgebatur: quâ in parte certè non peccavit.

3. *Abusum à Luthero* fuisse taxatum nullum est dubium; dum Exorcismus *sensu Papistico* ad expellendum ex obsesso Dæmonem à plerisq; adhibebatur. *Omnis autem abusus est rei non malæ, sed per se bonæ.*

IV. *Quicquid non congruit cum Dei Verbo, & mandato, ac eo ipso multorum conscientias tum ritum huncce administrantium; tùm adstantium vulnerat; illud ipsum consultius est totaliter intermittere potius; quàm cum sauciatione conscientiæ retinere. Talis verò est Exorcismus.* Ergo.

R. Negamus *Assumtionem*; contrarium enim sufficienter probatum dedimus, ac obtinuimus; quod *Exorcismus non sit contra Dei Verbum; nec lœdat conscientiam* sive *docentium firmorum*; sive *adstantium infirmorum*; modò hi rectè informentur de fine genuino, & usu proprio Exorcismi. Quia igitur principium petit *Minor* eam tenetur *Aurifabri* loco probare *Tenebrio* ceu auctor & patronus harum Chartarum.

V. *Omnis Ceremonia, & Constitutio humana, degenerans in abusum; & ansam ad Idololatriam, & superstitionem, vel ad obscurandam veritatem*

prola

prolabendi præbens; meritò est abroganda, & intermittenda: Uti docet Praxis in V. T. de *serpente æneo* 2. Reg. 18. *ab Hiskiâ* contuso: ideo quod Israelitis ad Idololatriam, & superstitionem prolabendi ansam præbuerat.

Atqui *Exorcismus* est talis Ceremonia: probatur, quia multis hominibus persuasum est, Exorcismum esse *extremæ & peremtoriæ necessitatis*, adeò, ut sine ejus ritu adhibito baptizatus non possit ex Diaboli regno, & potestate liberari: utut, percipiat baptismum divinitùs ordinatum. E.

R. 1. Ad *Majorem*, in eâ confundi id, quod est *per se*, cum eo, quod est *per accidens*. Si ceremoniæ suâ *naturâ*, ex se, & per se degenerarent in abusum, & homines ad superstitionem, vel Idololatriam, nec non veritatis obfuscationem pertraherent: utiq; meritò essent abrogandæ: Ubi quidem non diffitemur plurimas in *Papatu* hujuscemodi esse ceremonias cum superstitione, & Idololatriâ conjunctas; Id quod de nostris ceremoniis hunc usque in diem evictum dare nequaquam potuere adversarii; licet eas interdum *abusus* excipiat; qui tamen *toti Ecclesiæ*, ad cujus arbitrium propriè spectat quælibet Ecclesiastica Ceremonia, imputari non debet.

2. *Distinguo* inter prolapsum ad superstitionem, & Idololatriam vel ex *infirmitate*, vel *ex malitia*. *Ille est simpliciorum, & infirmorum in*

fide

fide Christianorum in Ecclesiâ; hic vero *Adversariorum* adeoq; *veritatis hostium*, libertatem Christianam petentium. Quoad *illos*, dicimus eos *esse optimè informandos*, quid sibi ejusmodi ceremonia velit à totâ Ecclesiâ introducta, videlicet, *non sub opinione cultus divini*; *non mandati & necessitatis*, *non meriti*; *sed alius finis divinitus injuncti* 1. Cor. 14. nempe 1. *Honestatis*, *& ornatus*, *vel decoris* 2. *ordinis & 3. ædificationis* gratiâ. Quod ubi factum fuerit, non dubium erit, quin longè aliter sint de nostris ceremoniis censuri: sin verò indociles sese præbuerint; tunc *infirmi & simpliciores* esse desinunt, hocq; ipso ad classem *malitiosorum* transeunt. Hos itaque quod attinet, tantum abest; ut in gratiam eorum quicquam ceremoniarum sit mutandum: quippe tales subrepunt *clàm*, *& subvertere conantur nostram libertatem in Christo*, adeoque sub hoc prætextu & Schemate, sectam suam perniciosam introducunt in Ecclesiæ proscenium. Magis verò nobis in libertate erit perstandum, quàm vel ad horam Veritatis hostibus cedendum. *Neque* hoc pacto ipsis *scandalum* aliquod *datur* ex nostrâ quidem parte; sed *male* quid ipsimet sibi *fingunt & arripiunt* more Hypocritarum, & Pharisæorum, quæ sunt Verba ipsius *Aurifabri* contra *Bened. Morgenstern* in apolog. art. 4.

3. Nec nos refragamur, ceremonias, (cum ejusmodi periculo fuerint conjunctæ

abrogan

abrogandas esse; sed non ex *necessitate*, quam heic sibi adversarii suaviter somniant, contendentes: *ritus tales esse cum peccato*, *aut cum peccandi occasione conjunctos*, nec ad unius aut *alterius* postulatum, & instantiam, multò minùs in *adversariorum gratiam*, Sed 1. ex *Christianâ libertate*, 2. ceu *rem* ἀδιάφορον 3. *extra casum Confessionis* 4. à totâ *Ecclesiâ*, si ita ei visum fuerit.

4. Circa *abrogationem* ceremoniarum, *pensitandæ diligenter sunt Circumstantiæ*: Aut enim *universus* cœtus propendens ad superstitionem & idololatriam est *insanabilis*, nullam admittens informationem *de usu & fine* genuino ceremoniarum, aut *minima pars* in errore præconcepto perseverat. Sin *prius* contigerit alicubi, satius fuerit abrogare *ad tempus* ceremonias occasionem ad superstitionem & Idololatriam prolabendi præbentes, donec paulatim de usu adiaphori ejusmodi fuerint edocti homines. Quo spectat illud de *æneo Serpente* 2. Reg. 18. v. 4. ab *Hiskiâ* abrogato, quia Israelitæ usque ad ipsius tempora ei adoleverant, nec à proposito Idololatrico desistere volebant.

Sin autem *posterius* obvenerit, ita ut *minima pars Ecclesiæ*, *ex falsa* opinione hæsitaret in hoc negotio, adeoque ad *Idololatriam*, vel *superstitionem* propenderet, utiq, in paucorum gratiam ordinatio universæ Ecclesiæ perverti

non

non debet, sed pauciores illi mores suos ad Ecclesiæ totius præscriptum attemperare tenentur.

Nunc ad *Assumtionem* respondemus per *inficationem*, quasi *Exorcismus* prout quidem in nostris adhibetur Ecclesiis, *vel* suâ naturâ degeneret in abusum, *vel* aliquem ad superstitionem, aut Idololatriam aut ad obfuscandam veritatem incitet, aut verò adigat.

Insuper ad *probationem Minoris*, persuasionem illam, *diligenti*, ex animis simpliciorum, *informatione* esse eximendam 1. vel de *superstitione*, 2. vel de *Idololatriâ*, 3. vel *de necessitate* respectu *mandati*, & *finis*: uti suprà meminimus; Ac semper talibus, vel etiam præfractis ob oculos ponenda informatio illa apud B. *Augustinum* (quæ *Ambrosio* adscribitur) *Epist. ad Ianuar. Si non vultis errare, facite quod ego soleo. Ego enim ad quamcunque Ecclesiam orthodoxam venio, me ad ejus ceremonias accommodo.*

13. Atque hęc sunt palmaria pro abrogando Exorcismo argumenta ab *Aurifabro* illo fabrefacta, & ex tenebris eruta à *Tenebrione* quodam Ecclesiis nostris obtrusa, sed quam futilia, & evanida, ex hactenus præmissis solutionibus cuivis planum est. Aliorum argumentorum solutio aliunde petatur. Unicum vero *Colophonis* loco addimus, ab *Adversariis* autoritatem Dn. D. *Ægidij Hunnii* p. m. toties nobis pro abrogando Exorcismo objectari

ut

uti videre est apud Becan. in Manual. lib. 3. cap. 8. p. 627. ubi etiam objectiones Dn. Hunnii refutat: & in chartis *Tenebrionis* nostri p. 33. Auch etzliche unser widerwertigen als D. Ægid. Hunn. schreiben nun mehr offentlich / und bekennen es sey nichts darmit (mit dem Exorcismo.) *Contrà* verò tenendum, hunc usque in diem à *Calvinianis* probari non potuisse scriptum illud fuisse à Dn. *Hunn.* p. m. ceremoniam hancce destinatâ sententiâ abrogandi profectum, Fuisse verò instituti illius longè diversas rationes B. Hunnio, testantur literæ Dn. D. Nicolai Hunnii, Filii, nunc Superintendentis Lubecensis An. 1622. 5. Januarii ad Dn. M. Pouchen. collegam nostrum dilectum, & honorandum exaratæ: quarum formalia in gratiam tùm infirmiorum malè informatorum, tùm pertinacium deformatorum, & decipientium, huc apponere placuit.

Clarißime Vir, amice dilectißime, Ecclesiis prutenicis illustrißimis non uno modo turbatis, sincera συμπαθεία *condoleo, Deumq; precor, componat is fluctus, quibus hæc Christi navicula concutitur. Tantò autem dolor meus est acerbior, quod turba Calviniana sub prætextu consensus* mei parentis, *b. m. in negotio* exorcistico *orthodoxos premit, cum sciam, nihil curasse diligentiùs patrem*

meum,

meum, quàm ut res Ecclesiæ ab Adversariis, titulo reformatorum *se hodie ornantibus, nihil detrimenti pateretur; multò minus quicquam egisse illum, quod istorum hominum conatus ullâ ex parte juvare; nostram verò Ecclesiam quoquo modo turbare, vel affligere potuerit. Gratias autem tibi ago singulares, pro studio, hactenus etiam bonos quosvis juvandi, & meum parentem* excusandi; *Ego tantò libentius petito tuo satisfacio, & quid de thematis* Exorcismum *impetentibus cognitum habeam, ad te refero, quod suo fine rem non cariturum sperem.* Sic *igitur* habe: *Quando* Serenissimus *Princeps,* Christianus II. Elector Saxoniæ *&c. primùm capessebat Electoratus gubernationem, in mandatis dederat Serenißima Ejus Celsit.* *Theologicæ Facultati* VVittebergensi, *ut certa quædam capita consignaret, quorum in* Visitatione *Ecclesiarum, propediem instituendâ, singularis ratio haberetur: collecta sunt igitur quædam; & in deliberatione i* collegio *instituta, parens meus monuit, cum eo tempore hic* Electoratus *pace optatâ frue retur,* Exorcismum *abrogari posse tant tutiùs, quòd adversarii* in sui gratiam i *factum* non possent gloriari, *idq; fore e*

us

usu *Ecclesiæ, quæ occasione hujus ceremoniæ, Ministrorum intestina* dissidia, *hostium v. irruptiones, cum suo* magno damno *experta fuerit hactenus, & ceremoniam ipsam taliter esse comparatam, ut, licet in vero suo usu, & intentione Ecclesiæ* non admodum sit improbanda, in formalibus *tamen verbis sit* duriuscula, *& forsan à s. literarum τύπω non nihil* discrepans. *Etsi a. hoc consilium Dn. D.* Huttero *approbaretur; displicuit tamen Dn. D.* Gesnero *&* Rungio *Ιοῖς ἐν ἁγίοις, metuentibus, ne* Elector *Calvinismi suspicionem incurreret, turbæ, & motus novi exorirentur; ipsam v. ceremoniam, ut Ecclesiæ non* incommodam *nec in* suo formali *à sanorum verborum τύπω alienam,* retinendam *esse censentibus. Dederunt ista occasionem de* Exorcismo *colloquendi; cumq; non omninò conveniri posset, in aliam deliberationem, & conventum tunc quidem res dilata fuit, ita, ut quisq; suam de* exorcismo *sententiam cum argumentis in chartam conjectam cæteris collegis exhiberet, quò tantò rectius negotium in deliberationem vocari, atq; expediri valeret: Hæc ἀφορμὴ fuit conscribendarum, quæ publicè extant, thesium, quæ aliquatenus mihi*

nota fuit, confusius tamen antequam typis evulgarentur Erphordiæ; *explicuit rem magis etiam M.* Georgius Jordan, *qui eo tempore (anno scilic. 1601.) amanuensis erat parentis mei, hinc usq; ad annum 1610. Diaconatu hujus Ecclesiæ fungebatur; quem testari memini, sibi* sub silentii *fide commissa hæc themata describenda, meumq; parentem tantopere cavisse, ne in aliorum manus devenirent ut amanuensi non concederentur describenda, nisi in parentis mei præsentiâ, qui auditorium vel templa petens in cistam reposuerit, ne quo casu aliis conspicienda objicerentur; magis verò confirmabat Rev Dn* D. Hutterus, *qui taliter in Facultate omni fuisse acta, referebat. Hinc verò non unâ pate falsitas, quâ fundantur cogitationes* Adversariorum; *1.* paulò antè obitum *parenti consignata fuisse themata; namq; theses 34 & 67. expressè designant annum 1601. à qu superiore decennio, & undecennio, annus sci 1590. & 1591. tragoedia* Exorcistica *fu acta. 2. Consignatas fuisse, ut* de iis public *in VVittebergensi Academiâ* disputaretur *cum fine* longè diverso *conscriptas esse, ce tum sit, ut inter collegas deliberationi insti tuendæ servirent. 3. His ipsis thesibus ex*

pressa

pressam sententiam mei parentis; falsum hoc dico, *atq;* testor; *nemo siquidem ignorat, quæ annotantur caussa deliberationis, ubi res pro, & contra disputanda est, & in partem utramq; ventilanda, tàm adversariorum causam agere, & erroris simulatum patrocinium suscipere; quàm veriorem sententiam defendere: ut non modò expendatur, quid & quantum momenti ex unâ parte, eaq; veriore obtineant argumenta & rationes, sed etiam, quid, & quantum in alterâ, ut re ad veritatis trutinam exanimatâ, decisio tandem expeditior fiat, atq; certior; atq;* hoc fine, hac mente, & intentione, *suam sententiam quisque collegarum Fac. Theol. consignavit; nullus ut,* quid statuendum putaret protinus decerneret, *sed ut acuratiori* considerationi *necessaria, in conspectum sui & aliorum produceret.*

Quamvis ergò nullatinus diffitear, thesium istarum de Exorcismo autorem extitisse parentem meum: *inficior tamen, hanc ei* mentem fixam & sententiam certam unquam fuisse, *uti, qui eas, cum nescio quo triumpho, circum portant, ac ubiq; exponunt. 4. Addo verò, themata* cum originali non per omnia concordare; *ut*

enim unum & alterum solùm exempla notem, thesi 94. *cum originale dicat: Exorcismum* baptisticum; *impressum mutato epitheto dicit* papisticum. *Thes. 52. originale meminit* ternæ *signaturæ crucis; impressum* torvam *appellat. Ex his judicare poteris, quâ fide ex originali (quod isti homines habere non potuerũt) descripserint theses, qui prælo primi subjecerunt.*

Hæc fermè sunt, Clarissime Vir, quæ coràm ex me tibi audita puto, quæq; huc repetenda duxi, ut de origine thesium exorcismo oppositarum tibi plenius constet, & relationem verissimam trado, quam nemo, sat scio, falsitatis arguere, nedum convincere poterit:

Deum voto ardente invoco, ut Ecclesiæ suæ pacem exoptatam vel suo glorioso adventu reddat, excisis illis, qui vos conturbant. Vale in Domino felicissimè VVitteberga, 5 Ianuarii 1622.

Clar. atq; præstant. T.

addictiss.

Nicolaus Hunnius D.

Frustrà ergò Ecclesiis nostris auctoritas D. Hunnii toties; objectatur ab Adversariis.

D

De Secundo.

Utrum Christianorum parentum liberi, ab ipso conceptionis sui momento, ac ab ipsa adeò nativitate sint Sancti?

1. Projecerunt etiam hoc ἔριδος μῆλον contentionis pomum in theatrum Ecclesiæ *Calviniani*, occasione arreptâ ex 1. Cor. 7. v. 12. 13. & 14. *Alioquin liberi vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.* Unde *Calviniani* sanctitatem liberorum ex piis parentib. Christianis procreatorum, asserere contenderunt, & adhuc contendunt.

2. Nostrates verò, etsi ob manifestam Scripturæ S. auctoritatem ejusmodi liberis Christianorum non denegent sanctitatem aliquam: In *explicatione* tamen, *quo videlicet sensu Sanctitas illa in Apostolico Aphorismo veniat*, à gente *Calvinianâ* totis castris dissident.

3. Quod ut eo dexterius percipiatur; operæ pretium facturus mihi videor, si enodatâ termini sanctitatis πολυσημασία; genuinam Apostoli significationem eruam, ac legitimum controversiæ statum formem; de qua potissimum sanctitate inter nos & Calvinianos disceptationis cardo vertatur:

4. In universum autem de *hominibus* Sanctitas effertur:

1. Significatione *Politicâ*, vel civili pro *legitimum* esse, & sic opponitur *notho* vel *spurio*: idq; Phrasi *Hebræa*; Uti enim matrimonium sanctum vocatur stylo Spiritus Sancti *Malach.* 2. *v.* 11. ita quin liberi ex thoro legitimo procreati sancti dicantur, nil vetat Ita aphorismus *Paulinus* à multis explicatur citra ullam absurditatem, inter nostrates quidem à Dn. *Hutter.* L. C. *de peccat.* Orig. *Controv.* 111. *fol.* 332. A. Hanc verò explicationem præter meritum flagellat *Lucifuga* noster in Chartis super dict. 1. *Cor.* 7. *part.* 1. *p.* 29. 30. his verbis: vnnd dannenher wird von sich selbsten fallen / die Juristische Vntheologische Gloß / damit etliche die sich gar hoch Evangelisch rühmen / diesen text / trost / vnd krafftloß machen wollen ꝛc. ac simul auctores ex antiquis *Patribus* hujus explicationis puta B. *Hieronym.* & *Ambrosium*, ut & *Thomam* & *Ansbelm.* super h. locum, protervè exagitat: *præceptorem* insuper suum *Wolfgangum Musculum* ejusdem sententiæ interpretem deturbat; vid *Comment. super* 1. *Cor.* 7. Et falsum ex superioribus apparet; nullibi in scripturis, sanctum pro ex *legitimo thoro nato* sumi; secus ac contendit *tenebrio*.

Deinde significatione *separativâ speciali* per *Hebraismum*, pro sanctitate *officiali*, & sic sanctum idem erit, ac *segregatum* ad pios usus officii Sacri Exod. 13. Sanctifica h. e. segreg mih

mihi &c. *Ierem.* 1. *v.* 5. *Sanctificavi* te h. e. *segregavi* te: Conf. c. 2. v. 3. c. 12. v. 3. *Esa.* c. 13. *v.* 3. Talis significatio heîc locum habere nequit, quia non omnes Christianorum liberi ad *officia sacra publica* sunt destinati.

Tertiò sensu scripturæ *separativo generali* pro sanctitate *externâ*; quæ alias sanctitas *Ecclesiastica*, *vel civilis Christiana* vocatur, juxta quam aliquis dicitur esse in *Ecclesiæ gremio*; habens aditum ad ejusdem bona sanctificantia; qualia sunt *Verbum*, & *Sacramenta*: quæ quia *tam* sinceris; *quàm* hypocritis sunt communia, inde *tùm* hi, *tùm* illi adeoq; omnes insuper quotquot in Ecclesiæ gremio nascuntur *Sancti* dicuntur. Quà quidem Sanctitate destituuntur *Pagani*, & ex *Paganis*, aut etiam *Iudæis* nati infantes.

Quartò sensu itidem scripturæ pro sanctitate *internâ*, vel *spirituali*, & sic sancti dicuntur, vel *paßivè*, ac idem sunt quod *justificati*, *regeniti*, & *renovati*; vel *activè*, qui ceu regeniti, & justificati accepto spiritu renovationis, *Sanctitati student*.

Quintam suppeditat B. *Augustin.* & *Anshelm.* quorundam expositionem de sanctitate observandarum legum matrimonialium contra abusum conjugii.

5. Jam quæritur: *quo sensu Apostolus infantes Christianorum parentum appellet sanctos?*

6. Nos intelligimus sanctitatem in *tertiò*

significatu, ac explicamus, per *privilegium solis Christianis proprium*, *quod nullis extra Ecclesiam competat*: Quicunq; enim infantes extra Ecclesiam sunt; ii omnes *immundi* dicuntur Apostolo, qui verò *in Ecclesiâ* sancti censentur: h. e. *jus* quoddam *Ecclesiæ proprium* obtinentes, per quod eis ad Ecclesiæ bona percipienda atq; simul, ad baptismi participationem, aditus pateat, quali quidem jure infantes Paganorum, Turcarum, & Judæorum destituuntur; idcirco etiam *immundi* vocantur.

7. *Calviniani* non consentiunt: *Quidam* enim arripiunt *primam* significationem, ac nobiscum per omnia facere videntur. Ita *Pareus* in Irenico sanctitatem illam de Ecclesiasticâ accipi vult per *segregationem* à cœtu Gentilium pag. 262. Cum quo facere videtur *Bergius* *in* Wiedertypost *art. d.* peccato original. sed non citra contradictionem, ut inferius indicabitur.

Quidam verò *Quartam* mordicus tuentur, contendentes: infantes parentum Christianorum *sanctitate internâ paßivâ jam esse in Dei fœdere*, & *gratiâ*, *esse cives Ecclesiæ spirituales*; *esse regeneratos*, *ac sanctificatos per spiritum S. in utero, à primâ nativitate.* Id quod probatur 1. ex expressis *Calvinianorum* verbis. Ita enim eorum *Patriarcha* cum *Zwinglio* Calvinus *lib.* 4. *Institut. c.* 16. §. 24. scribit: *Fidelium liberi*, *antequam vitalem spiritum hauriunt*; *imò adhuc utero*

materno

materno inclusi, hæreditario jure in fœdere continentur; idq; in mille etiam generationes; qui si patrem, aut matrem, aut proprios parentes non habuerint Deo *conjunctos, fortasse habuerunt aliquos ex suis majoribus*: unde fiat, ut peccati formale quod est reatus non sit in istis infantibus. Idem in *Antidot. contra articulos* Paris. & contra Concil. Trident. sess. 6. c. 5. Plura testimonia citantur in *libello* nostro, partim ex *Comment. super* 1. Cor. 7. *partim ex commentar. super Genesin.* Beza *in Quæst. & respons.* de Sacram. *sect.* 126. *Nec ideo*, inquit, *baptizantur fidelium liberi, ut filii* Dei *tùm primùm fiant, qui antè alieni fuerunt ab* Ecclesia, *sed solenni potius signo ideo recipiuntur in* Ecclesiam, *quia promißionis beneficio jam ante ad Christi* Corpus *pertinent, adeoq; eandem à parentibus sanctitatem ducunt.* Idem repetit *in respons. ad acta colloq.* Mompel. *in præf. & part.* 2. *respons. & in summâ* Christi: p. 140. 225. *& in minoribus annotationibus super* 1. Cor. 7. p. 14. *Hic locus, inquit, facit adversus (catabaptistas, &) eos qui præcisam salutis caussam ponunt in baptismo*: Fidelium *enim liberi vi fœderis, sancti sunt, vel ante baptismum; baptismus autem accedit seu sanctitatis sigillum.* Eadem est sententia hodiernorum Calvinianorum: uti scripta eorum testantur, utpote *Pierii*, Hemmingii in syntagmate Crocii ut & nostri *Lucifugæ* in chart. part. 1. de *dicto* 1. Cor. 7. *p.* 29. vnd zuderselben (Gedult) dienet diß vber diemassen

viel/ wenn man weiß/ das auch die Kin-der die in solcher Ehe erzeiget werden / vor Gott für rein/ für heilig vnd Mitt-genossen des Gnadenbundes gehalten werden *Et p 28.* das sie jhre wiewol durch beywohnung des vnglaubigen Ehege-mahls/erzeugete Kinder für gereiniget/ vnd für Bundsgenossen / nicht aber für vnrein oder VnChristen halten. Item *p. 30.* expressè sanctitatem hanc vocat *spi-ritualem* eine Geistliche heiligkeit sub fi-nem. Insuper *p. 32.* sic sanctitatem hanc describit. Das Gott der Herr / da Er vns Adams / vnd *Evæ* vbertretung vnd angeborne vnart zum verdamnuß zu-rechnen könnte / er dannoch von wegen des gnadenbundts / welcher im Blut seines lieben Sohnes gestifftet worden / vns vnd vnsere Kinder für Bundsgenos-sen/für heiligk/vnd für Erben des Ewi-gen lebens/auch in Mutter Leibe erken-nen wolte.

8. Quæ igitur sit sententia *Calvinianorum*, de sanctitate liberorum ex Christianis paren-tibus procreari solitorum , ex hactenus in medium allatis constat : Hinc oritur genuinu[s] Controversiæ status inter Orthodoxos & Cal-vinianos : *Vtrum liberi, quotquot à Christian[is]*

pare[ntibus]

parentibus procreantur sint à primo conceptionis momento, & ab ipsâ porrò nativitate specialiter sancti; hoc est, in Gratiâ Dei, inq; ejus fœdere paterno, ac gratioso comprehensi ante susceptum baptismu; ita ut citra insuper necessitatis articulum ex hac vitâ decedentes, vel toto antebaptismum tempore, pro filiis Dei, & hæredibus regni cœlorum sint habendi?

9. *Affirmant* Calviniani, & cum iis *Lucifuga* noster; nos ἀπολόγως negamus, ob sequentes rationes.

1. Qui enim concipiuntur in iniquitate, & nascuntur in peccatis propriis; ii non concipiuntur nec nascuntur in sanctitate: sunt enim contradictoria: concipi, & nasci in peccatis, ac in iniquitate; & concipi, ac nasci in sanctitate. Nec juvat exceptio inter *materiale*, & *formale* iniquitatis vel peccati, quasi sanctitas possit stare cum materiali peccati; uti contendunt Calviniani: non verò cum formali, quale in infantibus, ex mente Calvinianorum, prorsus ablatum sit. Heic enim iterùm petunt principium, & turpem committunt circulum. Quando sic argumentantur: Liberi Christianorum parentum sunt Sancti: quia ab iis peccati formale est ablatum: & retrò: Peccati formale est à liberis Christianorum ablatum, quia sancti sunt. Ubi si de *medio* ablati hujus formalis quæras, ut & assertionis vel receptionis infantium in Gratiam

tiam Dei; non uniformem audies Calvinianorum responsionem; uti paulò post indicabitur: & si quæras: *num baptismus sit tale medium?* & negativam reportabis ex Schola Calvinianorum; de qua re inferius. Jam vero liberi Christianorum parentum concipiuntur in iniquitate, & nascuntur in peccatis *Psal.* 51. *v.* 7. E. non concipiuntur nec nascuntur sancti, vid. *spiritualiter*, & sic Sancti non poterunt statui spiritualiter.

2. *Iob.* 14. *v.* 5. Qui ex immundo semine *immundi* concipiuntur & nascuntur: ii sancti esse ac dici non possunt, nempe *spiritualiter ac interne*. Opponuntur enim, *immundum esse spiritualiter*; & esse *mundum vel sanctum spiritualiter, ac internè*.

Atqui infantes Concipiuntur ex immundo semine immundi *spiritualiter*, ac sic immundi nascuntur ab utero E. sancti spiritualiter esse, ac dici nequeunt.

3. *Esa.* 48. *v.* 8. Nulli transgressores ab utero, sunt sancti *spiritualiter*, & internè ab utero. Sanctum enim spiritualiter esse, & tamen transgressorem, vel *immundum* esse, sunt ἀντικείμενα ἐν προσκειμένῳ. Atqui *omnes* infantes sunt transgressores ab utero, quatenus peccato Originali contaminantur. E. *nulli infantes* vel piissimorum parentum sunt sancti ab utero *spiritualiter*, ac internâ sanctitate.

4. Ex *Genes.* 5. *v.* 3. Qui concipiuntur, & nascun-

nascuntur ad *imaginem parentum divinæ imagini è diametro oppositam*; illi non concipiuntur nec nascuntur sancti *spiritualiter ac internè*: ratio; uti enim divina imago est positio justitiæ, & Sanctimoniæ veritatis: ita imago humana est totalis privatio justiciæ, & sanctimoniæ veritatis. Ergo qui nascuntur, & concipiuntur ad imaginem parentum suorum; illi necessariò per carnalem generationem, & propagationem Concipiuntur ac nascuntur cum *totali privatione justiciæ*, *& sanctimoniæ veritatis*: *&* sic non erunt *sancti*, sed *immundi spiritualiter*.

Atqui omnes infantes sive *extra* Ecclesiam, sive *in* Ecclesiâ concipiuntur & nascuntur *ad imaginem parentum suorum* ceu imagini divinæ è diametro oppositam. E. infantes insuper piorum parentum, non concipiuntur, nec nascuntur sancti, sed potius cum *totali privatione* uti justiciæ, ita sanctimoniæ veræ in conspectu Dei.

5. Ioh. 3. v. 6. Caro de carne concepti, & nati, non sunt sancti spirituali, & internâ sanctitate, sed iræ Dei obnoxii ex v. 34. rursus namq; è diametro sibi opponuntur, uti caro, & Spiritus: ita carnalis generatio, & sanctitas spiritualis: planè uti *generatio* parentum *carnalis & regeneratio* ex aqua & spiritu *mystica & supernaturalis*, vel *spiritualis*, *illa* indivulso nexu secum trahit peccatum, & immundiciem *spiritualem*, adeoq; maledictionem &

iram

iram divinam: *hæc* verò liberationem à peccato, regenerationem, adeoq; sanctitatem *spiritualem*, ut & *Gratiam* divinam sibi conjunctam habet. Atqui omnes infantes insuper Christianorum, caro de carne concipiuntur, & nascuntur. Ergo non concipiuntur nec nascuntur sancti *spiritualiter* sed sunt obnoxii iræ & maledictioni divinæ.

6. Ephes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ sicut & cœteri*: Filii iræ natura sua, non sunt filii *gratiæ*, multo minus sancti *spiritualiter*, & *æternè*: ratio consequentiæ est in aprico: nec locum habebit heîc elumbis illa exceptio adversariorum si dixerint: filios iræ posse dici infantes *ob peccati originalis materiale*; at verò insulse: ira namq; Dei non opponitur præcise materiali, sed *formali* peccati h. e. *reatui*, & *culpæ*: quod *formale* diximus esse *relatum* disput. 8. th. 8. Consistens *in privatione vel impotentiâ totali respectu* Dei: siquidem privatio respectu Dei est ruptura vinculi amoris, favorisq; divini, quo nos Deus, ceu carissimos filios suos ante lapsum complectebatur: post lapsum verò ob reatum peccati originalis concitatum adversum nos omnes, habemus iram & maledictionem divinam. Hinc quicunq; natural conceptione & nativitate nascuntur filii iræ ii nascuntur extra divinam gratiam, justicia & sanctitatem spiritualem in conspectu D adeoq; non erunt mundi & sancti; sed impu

& re

& rei, adeoq; iræ Dei obnoxii in foro divino.
Atqui omnes infantes nascuntur ex parentibus filii iræ per naturalem propagationem.
Ergo.

7. Mortui spiritualiter; non sunt sancti & mundi spiritualiter, ratio: Uti enim mors carnalis est totalis privatio vitæ, & vitalium operationum, ac affectionum: ita mors spiritualis est totalis privatio vitæ spiritualis omniumque spiritualium affectionum ipsius adeò Justiciæ, Gratiæ, & sanctitatis coram Deo.

Atqui omnes infantes à parentibus insuper Christianis carnaliter propagati sunt mortui spiritualiter: 2. *Cor.* 5. *v.* 15. *Eph.* 2. *v.* 1. *c.* 5. *v.* 14. *Col.* 2. *v.* 13. tum quoad actum *primum*, tantum caro de carne, nequaquam verò *spiritus* nati. peccato originali cum reatu mortis ac damnationis æternæ infecti, qui reatus citra usurpationem medii regenerationis, est irremissibilis ex ordinarione divinâ; ita, ut sicut in V. T. ob præputium carnis citra adhibitam circumcisionem octavo die, infantes *mortui spiritualiter* reputabantur in judicio divino: Ita in N. T. ob præputium spirituale carnalis nativitatis, citra adhibitum baptismum, infantes insuper Christianorum *mortui omninò spiritualiter* dicantur à Spiritu S. *Col.* 2. *v.* 13. *revivificant verò per baptismum* fide in Christum ibid. *v.* 12. Ergò ante baptismum,

uti

uti nec à mortuis resurgunt; ita nec sancti sunt spiritualiter: tùm quoad *actum secundum*, is quippe præsupponit primum: quo sublato & is deerit: sicuti sublata ἐντελεχείᾳ in corpore humano, tolluntur omnes operationes vitales, animales, & rationales.

Concludimus proinde infantes non esse sanctos spiritualiter ut ut à piis parentibus sint procreati.

10. *Deinde* colligimus ex analogiâ fidei hanc sanctitatem Calvinisticam esse purum putum figmentum.

Sanctitas liberorum talium spiritualis, aut erit *concreata*, aut *congenita*, aut *divinitus indita*, aut *nulla*.

Non est *concreata* nobis amplius: licet fuerat Adamo, deperiit namq; deperditâ imagine uti agnoscunt Calviniani. Non *congenita*: nullum enim donum spirituale post lapsum propagatur in liberos carnali generatione. Homo quidem generat hominem, peccator peccatorem, sed non procreat justificatus justificatum, nec sanctus sanctum; sed justificatus peccatorem in conspectu Dei; ratio; generat enim *non quâ justificatus & sanctus, sed quâ homo peccator hominem peccatorem.*

Non *divinitus indita*: Hoc n. fieret vel *immediatè*, vel *mediatè*. Non *immediatè*: Unde enim de tali indendæ Sanctitatis in infante modo constat Calvinianis? certè non ex *scri-*

pturâ

ſpturâ, quæ talem ſanctitatem Calviniſticam prorſus ignorat; & quâ tacente, eccur ſtultitia humana ſapientiam divinam reformare ſibi faſtuosè præſumit? Neq; heîc prætendere poſſunt Calviniani *caſum neceſſitatis*: qui eos aliquatenùs ſublevaret: aſt heîc non poteſt; ſiquidem operationem talis ſanctitatis divinæ *extra, & ante omnem neceſſitatis articulum fingunt.* Neq; huc quicquam faciet ad patrocinium cauſſæ Calviniſticæ *abſolutum* illud *decretum*; quale hactenus ex Scripturis demonſtrare non poterant; & omnia ſalutis media divinitus ordinata *partim* ſubſtantiâ ſuâ, partim *Efficaciâ* & fructu evacuat, & pervertit.

Non *mediatè*: aut id enim fieret per *media* divinitus inſtituta, ut ſunt *Verbum & Sacramenta*: *illud* quoad infantes non eſſe, utrinq; in aprico eſt: *Non Sacramentum initiationis* (confirmationis namq; hic non attenditur) quia *tale non confert* ex ſententia Calvinianorum communi, *Gratiam & Sanctitatem ſpiritualem baptizatis; ſed collatam ante baptiſmum dudum in utero, à prima conceptione, vel longo tempore poſt ſuſceptum baptiſmum non omnibus; ſed quibusdam probabiliter obtingentem duntaxat obſignat.* Aut *per media* à Calvinianis inſtar *epicyclorum, & eccentricorum Mathematicorum* ad ſalvandum ſanctitatis illius ſuæ phænomenon conficta. Qualia ſunt ex ſententia Calvinianorum *promiſſio fœderalis, & pactionalis Gen. c. 17. v. 7.* Ero

DEUS tuus, & seminis tui post te per ætates suas.

℞. Promissio illa non est *absoluta*, sed *conditionata*, vel ad certa media restricta, iisq; limitata: *ex v. 10. hoc est fœdus meum inter me, & vos, & semen tuum post te, quod servabitis ut circumcidatur vobis omnis mas conf. v.* 11. 12. 13. quæ *obligatio* tanti erat momenti ut conditionem illam negligentibus loco fœderis & pacti, ira, *maledictio, & pœna* Dei *severissima omnibus fuerit denunciata v.* 14. *Qui non circumciderit carnem præputij sui utiq; exscindetur anima illa è populis suis*; irritum enim fecit fœdus meum. Sicut igitur circumcisio erat fœderis illius in V. T. *initiatio & conditio; vel medium* inter Deum & homines ineundi adeoq; applicandi pactum illud & conservandi: ita in N. T. idem præstat baptismus in locum circumcisionis succedens: Jam vero baptismus ex mente Calvinianorum cessat esse ejusmodi medium, uti *veteres & hodierni Calviniani* fatentur: antiquius est hoc fœdus inquit *Pelargus* quàm, ut in baptismo primùm ineatur: *in Apologia cont. D. Balduini* quia Baptismi officium nullum aliud esse, nisi *significationem, vel obsignationem illius fœderis*: vulgo loquuntur *Calviniani*. Dejecti ergo ex hoc præsidio adversarii, aliud excogitarunt; quod est

II. *Ius nativitatis & hæreditarium.* R. 1. non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq

ex voluntate viri, ſed ex Deo filii Dei naſcuntur Joh. 1. v. 13. 2. non naſcuntur, ſed fiunt uti Chriſtiani; ita ſancti ſpiritualiter: neq; ſanctos efficit carnalis generatio ſed ſpiritualis regeneratio 3. alia eſt ratio *bonorum corporalium*; qualia jure hæreditatis liberi à parentibus acquirunt, & occupant: alia vero *ſpiritualium*: quæ ad liberos non transmittuntur, nec propagantur *actu generationis carnalis*, ſed per *media ſanctificantia* divinitus conferuntur. 4. alioquin ſi adverſariorum hypotheſis militaret: ſanè *Eſavus* à piis parentibus ſanctitatem jure nativitatis acquiſiviſſet, ut & *Saul.* &c. id quod ipſimet Calviniani, non admittunt; utpotè quos in numero reproborum collocant. Siccine igitur Sanctitatis avitæ ſpiritualis hæredes, ſimul evaſere gehennæ participes?

III. Quia igitur & hinc depulſi ſunt Calviniani; prætendunt medii loco *fidem parentum*: infantes ait *Pierius* per parentum fidem, etiam in utero Spiritu S. donari: huic adjunt *preces Eccleſiæ*; (Beza ſuperaddit fidem offerentium part. 2. reſponſ. ad act. coll. M.)

R. 1. Fidem parentum, & preces Eccleſiæ inſuper extra caſum neceſſitatis, aut etiam in ritu baptiſmi impetrare infantibus fidem, quà regenerentur, & verè credant, non concedunt Calviniani: negat *Bergius* infantes de *verâ & propriè* ſic dictâ donari, ſed tan-

tum *æquivoca*: unde qualis fides talis *adoptio* in fœdus; & qualis hæc; etiam talis *sanctitas* infantibus impetrabitur, videlicet *æquivoca* h. e. *ficta & picta*, erunt itaq; sancti æquivocè. Beza quoq; non nisi semen quoddam fidei infantibus tribuit part. 2. ad act. coll.

2. Nostra sententia est, Deum preces parentum fidelium ac Ecclesiæ exaudire vigore promissionis. Luc. 11. sicq; infantibus fidem veram ac regenerationem largiri: ast non neglectis; sed potius usurpatis mediis divinitus ordinatis; aut vero urgente necessitatis articulo, ubi usurpatio mediorum antevertitur, casu aliquo inopinato & insperato contingente: Extra casum necessitatis verò, si copia mediorum in promtu, neglecta fuerit, preces parentum sanè verti in peccatum multoq; minus ob contemptum mediorum exaudiri affirmamus. Joh. 9. v. 31. confer Jerem. c. 27. v. 18.

IV. *Lucifuga* noster addit Christianorum parentum *piam vitam & bonorum operum studium* im Bericht part. 1. p. 29. das dienet den Eltern dazu das ein jeder Vater vnnd Mutter nicht allein jhrer selbst eigenen Seligkeit / sondern auch jhrer Leibesfrucht wegen / fleissig sey zu guten wercken. Dan Gott der Herr will seinen glaubigen Gottseligkeit auch bis ins tausend Glied an den Kindern belohnen/

nen / vnangesehen / das etwan das eine Ehegemahl im vnglauben vnd vnbußfertigkeit gelebet vnd verstirbet.

R. Distingu. inter *bona temporalia*, *& spiritualia*: parentum piorum benefacta Deum in posteris compensare & remunerari non negamus: sæpè enim Deus propter pios parentes, liberis eorum benefacit: ast verò compensationem vel remunerationem usque ad Spiritualia, & Salvifica beneficia extendere, analogia fidei non permittit. Annon pii parentes erant *Isaac & Rebecca* filii sui *Esaui*? cur igitur pietatis eorum Deus haud habitâ ratione Esavum æterno exitio adjudicavit? antequam aliquid boni vel mali egisset? ita sentientibus *Calvinianis*: nos namq; de Esavo aliter sentimus. Similiter erit sentiendum de *Saule*, Absalomo &c.

2. Si ob benefacta & piam parentam vitam, obtingit divinitus sanctitas spiritualis; ergo vice versa ob mala facta, & contra primam vel secundam tabulam designata delicta obtinget ipsis immundicies spiritualis, & per consequ. ira Dei, maledictio & pœna æterna. Væ ergo æternum erit *Ionathæ* filio *Saulis*, & aliis piis regibus *Iuda*, *& Israel* ex impiis parentibus procreatis?

3. Fictitium hoc medium ex Scholâ Papisticâ videtur esse desumtum, adscribens impetrationem sanctitatis spiritualis infantibus,

ob bona parentum merita, & opera: si ergo parentes impetrant bonis suis operibus spiritualem sanctitatem pro liberis suis: Ergo etiam impetrabunt remissionem peccatorum, fidem, justificationem, regenerationem & vitam deniq; æternam. Siccine verò juxta illud: *Gratia Dei salvati estis per fidem* (non alienam, sed propriam Habac. c. 2.) idq; non *ex vobis*, *Dei donum est*, *non ex operibus*, *ne quis glorietur* Eph. 2. v. 8. 9.

Plura media non audent Calviniani conferendæ illius sanctitatis spiritualis nominare hæc verò quàm evanida sint; ex hactenus ultro citroq; ventilatis liquidò patet.

Inferimus ergò ac repetimus nostram assertionem, quod *spiritualis illa sanctitas Calvinistica*, *quam illi in infantibus Christianorum parentum fingunt*, *sit planè nulla*.

II. *Deniq;* sententiam *Calvinisticam* infinita comitantur absurda, ex quorum numero illa sunt (1.) Generatio carnalis degeneraret in spiritualem, cont. Ioh. 3. v. 6. (2.) omnium Christianorum parentum liberi essent prædestinati: (3.) fierent membra Christi citra baptismum contra 1. Cor. 12. v. 13. (4.) non fierent, sed *nascerentur* Christiani & filii Dei: contra effatum B. *Hieron. Epist.* 7. ad *Lætam* Tertull. *in Apologet* c. 17. (5.) infantes Christianorum essent priùs filii Dei, & posteà filii suorum parentum (6.) prius sanati, quàm vulne

rati

rati, sive peccatores (7.) prius essent filii gratiæ; quam iræ (8.) filii carnis mutarentur in filios promissionis, contra *Rom.9.v.* 8. (9.) Infantes piorum Christianorum sine peccato originali nascerentur (10.) Baptismi fructus & Efficacia esset nulla: de quibus postremis duobus absurdis in tertio membro restat fusius monendum.

12. Possemus his insuper addere auctoritatem *Patrum*, & sic allegationi Calvinisticæ ut ut satis *tenebricosæ*, non indicato apud *centuriatores* loco, id quod suspectum, obviam ire & *Oecum*: alios Patres opponere, sed nolumus auctoritatibus in fidei articulis certare.

De Tertio.

Utrum stante Calvinisticâ hypothesi, de spirituali sanctitate liberorum à piis parentibus procreatorum, ante baptismi susceptionem defendi possit, peccatum originale & Efficacia Baptismi?

1. Conqueruntur communitèr *Calviniani* magnam sibi fieri à nostratibus injuriam, ac si ob defensionem sanctitatis liberorum ex piis parentibus genitorum, negent eos nasci cum peccato originali, vel efficaciam Baptismi enervent. Querelæ tales passim leguntur in

scriptis *Calvinianorum* præsertim *Crocii* contra Dn. *Mentzerum*, Bergii Widertyposi *concion. priori art. 6. §. 4.* Ist derohalben abermahl eine falsche bezüchtigung das wir die Erbsünde leugnen sollen: & post: Ewer Kinder sind heilig / spricht der Apostel / nicht zwar das jhnen die heiligkeit angebohren / sondern das sie wegen der verheischung zum Bund der Heiligung gehören ꝛc. hiedurch wird die erbsunde nicht geleugnet sondern vielmehr dargethan vnd erwiesen. Dan wan sie keine Erbsünde hetten / so bedurfften sie keiner solcher gnaden verheischung / keiner wiedergeburt / vnd keiner Tauffe.

2. Noster *Lucifuga* non erubescit sententiam nostram inter articulos falso impositos referre, non sine magnâ contentione & bile *in præfat. explicat. dicti* 1. Cor. 7. *p.* 23. imò nomine calumniarum turpiter traducit *p.* 24. Hinc p. 31. conatur dogma suum, stante, sanctitate infantum spirituali, & de peccato originali, & de Efficacià baptismi, ab accusationibus nostris salvare. Das man vns hierauß da wir sagen / der Christen Kinder sein von jhrer empfengnüß her heilig / nimmermehr beybringen könne / als sein wir verleugner der Erbsünd / vnd der Krafft der Heiligen Tauffe ꝛc.

3. Facia

3. Faciamus E. periculum: num affirmativam ad oculum *Bergio* & *Lucifugæ* demonstrare, adeoq; citra studium calumniandi postulatis ipsorum satisfacere queamus: Ordine progrediamur, acturi

Primo de Peccati Originalis negatione ex sententiâ Calvinianorum.

4. *Dupliciter* Calviniani articulum de peccato originali impugnant: *Primo directè*, ac sic olim *Zwinglium* errasse ex ipsius scriptis planum est 1. statuendo peccatum originis esse morbum quendam (non peccatum lib. de baptism. tract. 3. in digressione de peccat. originali) qui tamen per se *culpabilis* non sit; nec damnationis pænam inferre possit 2. morbum originalem non *esse proprie peccatum*, sed solum per *metonymiam*: *lib. de baptismo memb. 3. & in declarat. peccati origin.* 3. Infantes quam diu legis capaces non sunt, in statu innocentiæ esse, in *Declarat. de peccato orig. Confer Confess. A. 30. exhib. art. 4. Comment. supra c. 5. Rom. Epist. ad Vrbanum Regium &c.*

5. Ubi frustra *Zwinglium* ab errore liberare & excusare conantur alii *Zwinglio-Calviniani*: utpotè *Henric. Bulling. Serm. 10. decad. 3.* Martin. Bucer. *in comment. super cap. 5. Rom.* Rudulph. Gualt. *in Apologiâ pro Zwinglio*, Withacker. *lib. 1. de peccat. original. c. 9.* O-

mnibus enim hisce jam dudum satisfecit *Bellarminus*, tergiversationibus Calvinisticis discussis *lib. 4. de amiss. Grat. c. 2.* Ex nostratibus verò Dn. Hutter. Loc. C. *f.* 314. & Dn. Mentz. *in defens. collat. August. Confess. disp.* 5. contra *Pierium & Crocium, ut & in Examine*, ita ut novâ confutatione opus minimè sit.

6. *Deinde, indirectè* 1. statuendo *dispositionem* tantum, & *principium* à quo peccatum oriri possit propagari, non verò *ipsum peccatum* propriè à parentibus in sobolem, eamq; inficere. Ita Keckerm. *lib. 2. syst. Theol. c. 5. p.* 257. 258. Hinc recte colligit Dn. *Meisn.* si dispositio tantum, & principium, à quo peccatum oriri potest, propagatur, certè non ipsum peccatum propagabitur à parentibus in infantes. Contra Psal. 51. v. 7.

2. Negando *animas ex traduce oriri* quæ communis est Calvinianorum hypothesis, desumpta ex *Calvin.* comment. super *Gen. c.* 3. Ast animæ propagatione per traducem negata, negabitur necessario originalis peccati propagatio ex traduce: ratio. Subjectum enim peccati originalis primum est anima humana cujus negatâ propagatione ex traduce, negabitur propagatio peccatio Originalis.

3. Negando expresse, corruptionem *naturaliter* ex Adæ progenie ad posteros traxisse *Calvin.* ibid.

4. Con-

4. Contendendo: animas puras à peccati reatu nasci; quæ verba sunt *Francis. Iunij* super *Gen. c. 2. fol. 40. §. 30.* proinde, inquit, si ad peccatum respexeris, *secundum se puram esse animam recentem à malo.* Ergo etiam secundum se *erit pura anima humana, à peccato originali.*

5. Adstruendo *vires* humanæ rationis *in negotio religionis*, uti de *Zwinglio Goclenio Keckerm.* nostrates ad oculum demonstrarunt vide *Exeges. Dn. Menz. A. C. art. 2. peccat. orig. p. 78.* Hinc rectè concludit Dn. *Menzerus* contra *Pier. & Crocium disput. 5. defens. collat. A. C.* à Calvinianis prædictis negari peccatum Originale, vires rationi humanæ mentis tribuentibus post lapsum, ut & rectitudinem ut per Philosophiam ex eà natam excitetur in nobis pietas, & cultus & honor & invocatio: id quod pugnat cum peccato Originali, quale est sine metu Dei, sine fiduciâ erga Deum, & cum concupiscentiâ, juxta *August. Confeß. vide Thes. 31. 32. 33.*

6. Pro Sanctitate liberorum à piis parentibus procreatorum, ceu pro aris, & focis pugnando, uti in præcedentibus videmus.

7. Atq; circa hoc ultimum membrum diligenter erit dispiciendum: num stante sententiâ Calvinisticâ, conseq. nostra obtineat firma, & solida: quod *Calviniani, infantes piorum parentum cum peccato originali nasci negent.*

8. Negant

8. Negant *Calviniani*, *nos* affirmamus, & probamus.

1. Quicunq; concipiuntur & naſcuntur in & cum ſanctitate ſpirituali, & internâ, ita ut ſint filii Dei, & hæredes vitæ æternæ, illi non naſcuntur, in & cum ἀταξία, pravitate intellectus, voluntatis & appetitus, ob quam ſint filii iræ, & æternæ damnationis, adeoq; non naſcuntur in & cum peccato originali: quod quidem in ἀταξία ſeu pravitate intellectus, voluntatis, & appetitus cum ſuperveniente reatu & malediction es divinâ conſiſtit. Ubi robur conſequentiæ nullâ ſophiſticâ everti poterit: idque ideò, quia nexus ratio ab eſſentialibus peccati originalis conditionibus, eſt deſumta.

Atqui ex ſententia *Calvinianorum*, Liberi piorum parentum concipiuntur & naſcuntur *in, & cum ſanctitate ſpirituali*, & internâ, ita ut ſint *filii* Dei (ſint in gratia, in fœdere Dei; ſint filii *promiſſionis*) *& hæredes vitæ æternæ*.

E. infantes piorum parentum non concipiuntur, nec naſcuntur in & cum ἀταξία ſeu pravitate intellectus, voluntatis, & appetitus, ob quam ſint filii *iræ* & obnoxii æternæ damnationi, ideoq; non concipiuntur, non naſcuntur in, & cum peccato originali &c.

2. Qui concipiuntur & naſcuntur in, & cum peccato originali, illi concipiuntur, & naſcuntur non *ad imaginem* Dei, ſed *ad imaginem*

ſuorum

ſuorum parentum, in privatione juſticiæ, & ſanctitatis veræ conſiſtentem, quod axioma utrinq; eſt in confeſſo. Atqui piorum parentum liberi non concipiuntur, nec naſcuntur ad imaginem parentum ſuorum in privatione juſtitiæ, & ſanctitatis internæ, vel ſpiritualis conſiſtentem: ſiquidem concipiuntur & naſcuntur *ſancti internè*, *&* *ſpiritualiter*, ceu filii Dei, & hæredes vitæ æternæ.

Ergo infantes piorum parentum non concipiuntur, nec naſcuntur *in*, *&* *cum peccato Originali* exmente Calvinianorum.

3. Qui concipiuntur & naſcuntur in & *cum peccato Originali*, illi concipiuntur & naſcuntur *in & cum reatu iræ* Dei, *&* *maledictionis æternæ*: ratio copulati, quia reatus ille eſt de ratione formalis peccati: uti cujusvis, ita maximè originalis.

Jam vero infantes fidelium parentum, nec concipiuntur, nec naſcuntur *in & cum reatu iræ* Dei *&* *maledictionis æternæ*: ſiquidem concipiuntur & naſcuntur *ſancti internè & ſpiritualiter*, non filii *iræ*, ſed *gratiæ*, non æternæ maledictioni ſubjacentes, ſed hæredes vitæ æternæ: adeoq; vi promiſſionis *fœderalis benedicti* E. non concipiuntur nec naſcuntur in & cum peccato Originali.

9. Nec juvabit exceptio adverſarios. Diſtinguendo inter formale *abſolutum*, *&* *relatum* peccati originalis (quam diſtinctionem alias

noſtram

nostram agnoscimus in disp. 8. membr. 3.) ac si peccatum originale stante formali absoluto stare possit, sublato *formali relato*, id est, reatu, qui remittitur infantibus piorum parentum; ut sic assumantur in fœdus Dei vigore promissionis ejusdem, ac evadant filii Dei, & hæredes vitæ æternæ.

Respondemus namq; 1. *Vtrumq;* peccati originalis *formale* in Schola Calvinian. in infantibus piorum parentum ante baptismum penitus negari, *Absolutum* quidem, quia infantes tales non concipiuntur nec nascuntur in ἀταξίᾳ, seu pravitate intellectus, voluntatis & appetitus, ceu imagini divinæ opposità; Sed in *justitià & sanctitate veritatis* id est, in *imagine primævâ.* Sic igitur negato formali peccati Originalis *absoluto*, negabitur ipsum peccatum Originale. *Relatum* vero itidem tolli plenariâ remissione ab infantibus, in fœdus & promissionem Dei receptis contendunt ipsimet Calviniani. E. ex ipsorum sententia nullus erit amplius locus peccato originali in infantibus.

Deinde edisserant nobis Calviniani, quandonam reatus ille ab infantibus tollatur, & quàm diu ipsi fuerint filii iræ, subjacentes maledictioni æternæ? & quo momento incipiant esse filii gratiæ ac filii Dei?

Aut enim tollitur reatus ille *per Baptismum* (loquimur cum extremi casus necessita-

tis

tis esse exceptione) quæ nostra est sententia, Calvinianæ ex adverso opposita, & sic falsum erit, infantes Christianorum vel piorum parentum esse Sanctos, ac filios Dei ab ipso conceptionis, & nativitatis momento.

Aut verò reatus ille *ante conceptionem & nativitatem* in mente divinâ tollitur, *aut* eo ipso momento quo *esse* in utero incipiunt, *aut* deniq; *post conceptionem & nativitatem*?

Non *ante* conceptionem, & nativitatem, sequeretur enim hoc absurdum, quod *prius* fuerit *peccatum* & peccati *remedium*, quàm homo peccator, affectio esset prior suo subjecto. Sanatio esset prior homine vulnerato, curatio valetudinis prior homine morbo correpto.

Sin autem reatus ille aufertur *in ipso* conceptionis *momento*, *& ex quo* esse incipiunt in utero infantes Christianorum, sunt filii Dei & sancti *internè*, *& Spiritualiter*, idq; ideò, quia sunt *filii fidelium* parentum utiq; *non concipiuntur in peccato originali*, quod secum trahit reatum iræ, & maledictionis divinæ. Quicunq; *enim eo momento, quo incipiunt esse simpliciter, incipiunt esse filii* Dei, *illi nequaquam incipiunt esse, cum & in peccato originali, sive cum reatu iræ, & maledictionis divinæ*, sive, *non incipiunt esse filii iræ*, ubi tergiversationi locus nullus, quod quidem incipiant esse filii *iræ naturâ*, filii verò Dei *ex gratia*: quando quidem *gratiæ & misericordiæ locus nullus in eo subjecto, in quo nulla præ-*

cessit

cessit *ira divina*, & *maledictio ob peccata si non actualia, certè tamen ob originale*. Jam verò in infantibus fidelium nulla præcessit ira, & maledictio divina, ex quo *enim incipiunt esse simpliciter*, *eodem momento incipiunt esse filii* Dei, *non filii iræ*, idq; ideo, quia concipiuntur ex parentibus fidelibus: Nec *verò ante conceptionem* reatui locus erit aliquis, ob absurda suprà assignata, nec *is in conceptione* statui potest, ex hypothesi præmissa.

Assumemus porro: Atqui infantes fidelium parentum eo momento, quo incipiunt esse, *simpliciter*, *incipiunt esse filii* Dei: uti enim *simpliciter* esse suum trahunt, à parentibus *fidelibus*, ita quo momento concipiuntur à parentibus *fidelibus* & *sanctis*, eodem momento incipiunt *esse sancti spiritualiter*, *ac internè*, adeoq; *filii* Dei, & *hæredes vitæ æternæ*: Ergo infantes fidelium parentum, *nequaquam incipiunt esse* (hoc est non concipiuntur) cum & in peccato originali, sive cum reatu iræ, & maledictionis divinæ ὅσπερ ἔδει δεῖξαι. An v. juxta sensum Spiritus S. *Psalm*. 51. *v*. 7. *Eph*. 2. *v*. 3. & Juxta *Aug*. *Confeßionem*.

Deinde quod non concipiantur *in* & *cum peccato originali* inde planum est; aut enim ita concipiuntur respectu *corporis*, aut *animæ*, aut *totius* compositi. Non respectu *corporis*, alias inde sequeretur: corpus esse primum peccati subjectum; id quod non concedunt *Calviniani*

Hinc

Hinc *Calvinus* negat ex Adæ progenie propagari labem originalem cum concedat corporis propagationem ex traduce. Nec respectu *animæ*, hæc enim à *Deo creatur*: aut ergo *immunda*, & peccato originali infecta & sic Deus erit causa peccati originalis: quo videtur inclinare *Calvinus*. statuens, peccatum propagari ex *Dei ordinatione*: negat verò *Fr. Iunius*, puritatem animæ ab omni labe statuendo, quando nascitur, uti supra dictum. Quo ipso *negatur anima humana* esse πρῶτον δεκτικὸν peccati originalis. Non *deniq;* respectu *totius suppositi*. Etenim nil est in composito, quod non fuerit in partibus, aut *potestate*, *&* *virtualiter*, aut *actualiter*. Ergo planè peccatum originale non propagabitur, sive respectu sui *formalis absoluti*, sive *relati*, hoc est, *reatus* in ipso conceptionis momento in Scholâ Calvinianorum.

Non *deniq;* reatus ille *longè post conceptionem*, *&* *nativitatem* ab Infantibus tollitur: id namq; 1. adversatur communi *Calvinianorum* sententiæ, qui momentum sublati reatus, & initium filiationis, in conceptionis actu designant: 2. id fieret *aut ante* baptismum, aut *in baptismo*, aut *post baptismum*: Non *ante baptismum*: nullum enim dare poterunt Calviniani, uti *regenerationis*, ita *Sanctificationis Spiritualis*, sive *internæ*, Salvationis, ac adoptionis in filios Dei, & hæredes vitæ æternæ, *medium*, præter *baptismum*. Quod enim heic

confugiant, vel ad *absolutum decretum*, vel *promißionem fœderalem*, supra jam diverticula hæc & similia obstructa sunt. Non in *baptismo*, ut ut namq; Orthodoxè loqui videantur, baptismo regenerationis efficaciam adscribentes: id quod facit Bergius in Wiedertyposi *art.* 6. §. 4. meræ tamen sunt præstigiæ verborum, quibus simpliciores, ac minus cauti turpiter circumveniuntur uti membro altero ex professo indicabimus. *Non post baptismum*, quæritur enim rursus per quod *medium*: aut enim per *verbum* aut *Sacramenta*: non per *illud*, uti constat de *infantibus* ad usum rationis nondum pertingentibus; non per *posteriora*, ut in *confesso*: ob prohibitam baptismi iterationem, & usum Sacræ Synaxeos quâ infantes.

Concludimus ergo: in Scholâ Calvinianorum peccatum originale nequaquam defendi posse.

4. Oppositorum uno affirmato; alterum necessariò negabitur. Atqui in Schola Calvinianorum, infantum ex Christianis parentibus procreari solitorum *Sanctitas Spiritualis, & interna* ceu peccato Originali opposita affirmatur; nemine audente contradicere. E. in Schola Calvinianorum peccatum originale quoad piorum infantes, negatur.

5. Quicunq; concipiuntur, & nascuntur in *statu gratiæ & Fœderis* de gratuita remissione peccatorum, ii non concipiuntur, nec nascun-

nascuntur, *in & cum peccato originali*: sic enim nascerentur in statu *iræ & maledictionis divinæ*.

Atqui fidelium infantes concipiuntur, & nascuntur in statu gratiæ, & complexu fœderis, de gratuitâ remissione peccatorum; fatentibus *Calvinianis*.

Ergo Infantes fidelium parentum non concipiuntur nec nascuntur *in & cum peccato originali*.

6. Quicunq; concipiuntur & nascuntur *in & cum peccato originali*, illi concipiuntur & nascuntur *communi sorte omnes, & singuli*, cum omnibus hominibus aliis, sive in *Ecclesia*, sive *extra jam* constitutis: ita ut nullum sit discrimen inter *paganum Alexandrum, & Christianum Imperatorem Iustinianum*, inter *Eliam, & Bileam*, inter *Platonem & Paulum*: uti colligit etiam ipsemet *Apostolus* Rom. 3. v. 12. 28. *Psalm.* 51. v. 7. *Iob.* 14. *Ephes.* 2. v. 2.

Atqui infantes piorum parentum *non nascuntur communi sorte cum aliis infantibus, parentum* extra Ecclesiæ gremium constitutorum: quia secundum *Calvinianos illi* sunt ab utero sanctificati, fiunt Sancti *Spiritualiter, & internè*; sunt filii Dei; consortes fœderis & gratiæ salvificæ: hæredes insuper vitæ æternæ: *hi* autem concipiuntur, & nascuntur *in & cum* reatu iræ, & maledictionis divinæ, idq; ob peccatum originale.

E. Infantes fidelium parentum non na-

ſcuntur, nec concipiuntur in & cum peccato originali.

10. At inquis, *idem ſequi ex noſtrâ ſententiâ*, quippe docemus: *infantes Chriſtianorum eſſe Sanctos Sanctitate Eccleſiaſticâ, quo ipſo negari videtur infantes Chriſtianorum concipi, & naſci communi ſorte cum aliis infantibus parentum extra Eccleſiam*: & ſicut hinc non negatur peccatum originale, ita nec ob ſanctitatem Calviniſticam ſpiritualem.

R. Longè eſſe diſparem & diverſam rationem Sanctitatis *Eccleſiaſticæ*, ſive *externæ*, & *Sanctitatis Spiritualis*, ſive *internæ*. Illa namq; optime ſtare poteſt cum peccato originali: eſſe enim *in Eccleſia* natum, & eſſe *peccato originali infectum*, non ſunt oppoſita: ubi per *Sanctitatem* illam Eccleſiaſticam ſolummodò jus ad bona Eccleſiæ denotatur, quo quia extra Eccleſiam nati, deſtituuntur, *hoc reſpectu immundi* dicuntur. Unde emergit conditionis & ſortis, tum reſpectu *Chriſtianorum* Infantum tum *paganorum* æqualitas, & paritas: quippe quia etiam Sanctitas illa *Eccleſiaſtica* cadit in infideles 1. *Cor*. 7. *v*. 14. Sanctificatus autem eſt *vir infideles*, inquit Apoſtolus. Diſcrimen vero obtinet inter utroſq; ratione *diſtributionis toti mundi*; juxta quam *omnes* homines & ſinguli in mundo, aut ſunt *in Eccleſia* viſibili aut *extra eam*: poſſunt tamen utrinq; *immundi* eſſe *Spiritualiter, ac internè*; ut ut in Eccleſia nati dicantur Sancti *externè*.

11. Con

11. Contra verò ex sententia *Calvinianorum*, posita Sanctitate internâ, & Spirituali in Infantibus piorum parentum, conditio, vel sors eorum, non amplius erit eadem, & æqualis, cum sorte & conditione infantum ex *paganis* parentibus procreatorum: *illi* namq; dicuntur esse *sancti* & *mundi internè & Spiritualiter*: *hi* verò *impuri & immundi internè ac Spiritualiter*. Concludimus itaq; piorum parentum liberos, uti *sorte inæquali & conditione imparê* concipi & procreari respectu Infantum extra Ecclesiam procreatorum; ita hos *in & cum peccato*, *illos vero citra & extra* statum peccati originalis concipi, & nasci.

7. Evincimus, Calvinianos negare peccatum originale in infantibus piorum, ex communi argumentandi modo, & usu ipsorum cum Pelagianis, hi namq; ex 1. *Cor*. 7. *v*. 13. 14. Ex Sanctitate de infantibus alterutrius fidelis parentis, & ad Ecclesiam pertinentis, ab Apostolo assertâ, negarunt peccatum originale. Qui igitur utuntur Aphorismo Apostolico cum Pelagianis pro astruenda sanctitate interna ac spirituali, & *destruenda* immunditie interna ac spirituali in infantibus piorum parentum, illi negabunt cum Pelagianis peccatum originale in infantibus. Illud faciunt *Calviniani*, Ergo Calviniani negant peccatum originale in infantibus piorum parentum: Calviniani igitur erunt Pelagiani.

12. Demonstravimus hactenus in Scholâ Calvinianorum peccatum originale defendi non posse: audiamus quid in contrarium afferat noster *Lucifuga*. Denn die Erbsünde vnd jhre wirckung betreffend / bezeugen vnd lehren wir fast in allen schrifften / vnd predigten (1.) das alle Menschen / auch die Heiligsten in Sünden empfangen vnd gebohren werden / ja von Natur kinder des Zorns sind. *Psalm.* 51. *Ephes.* 2. (2.) Das alles tichten vnnd trachten des Menschlichen Hertzens (auch der Christen / so ferne sie Adams kinder sein) böß sei von Jugend auff. (3.) Das niemand konne das Reich Gottes sehen / er werde denn auß Wasser vnnd Geist gebohren / denn was von fleisch gebohren ist / das ist fleisch. *Ioh.* 3. *Bergius* in sua *Wiedertyposi* plura accumulat ex sacris art. 6. §. 3. 4. ubi etiam legi poterunt.

13. R. 1. Mirum nemini esse debet Calvinisticum spiritum contradictionib. sæpe numero conflictari: & quod una manu largitur, hoc ipsum altera eripere solere. Si quis Calvinianis fidem adhiberet, quando illi sanctè asserunt: *substantiam corporis & sanguinis Christi, esse realiter & præsentissimè in Cœna Domini*, is egregie deciperetur, pro *substantia corpori*

poris & sanguinis Christi accepturus *vel* nuda *elementa*, vel *accidentia* h. e. *efficaciam*, *& meritum Christi*. Pari artificio Sacramentarii utuntur in elevandis reliquis fidei articulis, quos tamen sanctissimè nobiscum credere gloriantur: uti videre est in loco de *Persona Christi*, *de Naturarum*, *Hypostaseos*, *& Proprietatum communicatione*, *in officio* Christi, de *Peccatorum* causis, de *Prædestinatione*, *de Iustificatione*, *de Scriptura &c*. Unde tot enatæ de articulis falsò impositis protestationes ap. *Pareum in irenico. Neostadiens. & Marchiacos* hodie, sed contra manifestam experientiam, & propriam Calvinianorum conscientiam.

2. Distinctionem supra assignatam in subsidium vocamus, ac dicimus Calvinianos *directe* quidem non per omnia peccatum originale impugnare. Atqui ita pro sententia eorum facere, dicta allegata fatemur, ex altera verò parte, ob hypotheses supra commemoratas, in Schola Calvinianorum frequentatas, peccatum amplius originale defendi haud posse, firmissimis rationibus probatum dedimus: & sic statuimus Calvinianos peccatum originale *indirecte* oppugnare, & penitus in infantibus piorum parentum negare.

14. Quæ in specie prætexit *Bergius*, cum *tenebrione* suo ac si Sanctitas illa Spiritualis obtingat liberis piorum non *naturâ*, sed *gratiâ*. 2. Quod in *Baptismo* in fœdus Dei recipiantus

3. Quod in *baptismo regenerentur*, quod *Sanctificentur*: ea *partim* supra sunt discussa; partim *ambigue* dicuntur; Pertinere enim ad fœdus intelligitur, vel ex *absoluto decreto* esse in fœdere, citra ullam medii applicationem, id quod ceu Calvinistici cerebri figmentum execramur, *vel* habere quidem *aditum ad fœdus* per mediorum divinitus institutorum *usurpationem*, adeoq; transire ex statu iræ ad statum gratiæ, remissionis peccatorum, adoptionis in filios Dei, & hæredes vitæ æternæ id quod *nos* urgemus; *Calviniani* verò non credunt, infantibus Sanctitatem *Spiritualem & internam*, ante omnem mediorum usurpationem *adscribendo* ab ipso conceptionis, & nativitatis momento, uti statim demonstrabitur. Unde fucus ille *tergeminus*, de efficacia baptismo adscripta verbis *Bergii*, detegetur ac si infantes in fœdus Dei *recipiantur*, ac si *regenerentur in baptismo*, ac si sanctificentur. Effata hæc esse prorsus *fraudulenta*, & cum doctrina Calvinistica è diametro pugnantia, inferius indicabitur. Quid verò est Ecclesiæ patientia, & simplicitate multorum abuti, si hoc non est?

15. Cogitent jam penitus piæ mentes, quid de illatione illa *Bergii* sit sentiendum. **Hiedurch wirt nun die Erbsünde nicht geleugnet/ sondern viel mehr dargethan vnd erwiesen: denn wenn sie keine Erbsünde hetten / so bedürfften sie keine**

solche

solcher verheischung / keiner wiederge-
burt / vnd keiner Tauffe. Argumentum
erit tale. *De quibus asseritur, quod opus habeant
promißione, regeneratione, & baptismo: in iis pec-
catum originale non negatur, sed magis stabilitur.*

Atqui juxta *Calvinianos*, *de infantibus fide-
lium parentum asseritur, quod opus habeant promis-
sione, regeneratione, & baptismo.* Ergo ex *Cal-
vin. sententia peccatum originale in* Infantibus *non
negatur, sed magis adstruitur. & stabilitur.*

16. R. Major à nobis non reprehendi-
tur, ea vero per omnia in Scholâ Calviniano-
rum non poterit admitti, siquidem omnia illa
videlicet *promißo, regeneratio, & baptismo* non
opponuntur *peccato originali* ceu *remedia* mor-
bi: sed fundantur *partim* in *absoluto* Dei de-
creto, *vel* respiciunt *nudam piorum parentum*
conditionem, uti quidem est promissio fœde-
ralis ex mente *Calvinianorum* prius ad Electos
pertinens, antequam hi considerentur in Dei
præ visione, aliquid *boni* vel *mali* egisse, adeoq;
ante infectionem ex peccato originali dimanan-
tem: *partim* sunt *impoßibilia*, ut *regeneratio*;
hæc enim præsupponit *generationem* in pecca-
to originali infantum piorum parentum; quæ
à *Calvinianis* non admittitur, fingentibus verò:
conceptionem, & generationem in sanctitate *spi-
rituali, & interna*, *partim* deniq; *simulata*, ut
Baptismus, quem negant esse *remedium* peccati
originalis, nec *conferre* gratiam Dei, remissio-

 nem

nem peccatorum, regenerationem ad vitam æternam. Hinc quoad *Minorem*, Hæc etiam consistere non poterit; ac si infantes habeant opus *promißione* ob peccatum originale. *Contrá*: quicunq; ab *æterno* decreto absoluto, vel in *ipso* conceptionis momento *semper* sunt in promissione, Filii promissionis, & *Filii Dei*, Illi non indigent promissione illâ ceu *remedio contra peccatum Originale*: non *poterit namq; monstrari momentum* à Calvinianis, quo liberi fidelium parentum *sint*, *fuerintve extra statum promißionis*, *&* *gratiæ divinæ*, Adeoq; *quando versati* & constituti sint, constituanturq; in *statu* peccati, *iræ*, *&* *maledictionis* divinæ. Promissione itaq; præsupposità divinâ, *non necessario* ponitur *peccatum originale* ex sententia *Calvinianorum*. Neq; opus habebunt *regeneratione* à peccato originali: Qui enim *eo ipso* momento quo *incipiunt esse*, in fœdere Dei spirituali In peccatorum remissione, sanctitate spirituali, in adoptione, in jus filiorum Dei, & assertione ad hæreditatem vitæ æternæ, *concipiuntur*, *&* *generantur*: illi non opus habent alia *nova regeneratione*: ratio, quia à primo conceptionis momento, ex quo *simpliciter esse incipiunt*, non *caro*, sed *spiritus* esse incipiunt, & qui sic esse incipiunt, illi non incipiunt esse *in &* *cum peccato originali*, nisi concessa definitione ἀπαιδεύτως definitum negare quis voluerit. Atqui infantes piorum eo ipso momento,

mento, quo incipiunt *esse simpliciter*, non *caro* sed *spiritus* esse incipiunt ex mente *Calvinianorum*: Ergo non opus habent regeneratione aliqua superveniente. Et sic *regeneratio* non importabit *existentiam peccati originalis* in Scholâ *Calvinianor*: sed utrumq; ante vertendo impedit, Hoc est: *tum existentiam* peccati, tum *regenerationem* generatio spiritualis; *ij* namq; soli *opus habent regeneratione*, qui *caro de carne concipiuntur, & nascuntur*; Id quod de infantibus piorum affirmare non poterit *Bergius* Multò minus ex *Baptismi necessitate* stabiliri poterit peccatum originale in Calvinianorum Schola; siquidem heic duntaxat admittunt necessitatem *mandati*, non *medij*, vel *finis*: uti *suprà* disp. 13. ostensum, & nunc in subsequentibus demonstrandum restat. Invertimus ergo argumentum Calvinisticum & sic concludimus: *De quibus asseritur, quod in ipso conceptionis momento generentur & incipiant esse filii Dei, filii promissionis, sancti*, adeoq; *non caro*, sed *spiritus*, quibus insuper *Baptismus nil regenerationis cõferrat* in iis peccatum originale defendi nequit. Atqui *de infantibus Christianorum in Scholâ Calvinianorum illud asseritur* Ergo in infantibus piorum parentum peccatum originale defendi nequit. Id quod erat demonstrandum.

17. *Colophonis* loco committimus *Lucifugam* cum contradicente *Bergio*; Describit *ille*

sancti-

sanctitatem in piorum parentum liberis, quòd quidem Deus nobis Adæ, & Evæ, prævaricationem, & congenitam pravitatem ad damnationem imputare potuisset: Vi tamen fœderis, in sanguine filii sui dilecti sanciti, nos nostrosq; liberos pro fœderatis, pro sanctis, adeoq; pro hæredibus vitæ æternæ insuper in utero materno agnoscat & reputet, Unde colligimus: sanctos dici piorum liberos, quòd sint jam fœderati Dei facti, vel: quòd in fœdus Dei sint recepti, quod jam sint sanctificati, & hæredes vitæ æternæ facti, inde ab utero materno, adeoque ante Baptismum. Bergius vero ita illam sanctitatem explicat, Nicht zwar daß jhnen die heyligkeit angeboren/ sondern daß sie wegen der verheischunge zum Bund der heyligung gehören / vnd Gott dem Herrn zu seinem Dienste von Kind auff/ sonderlich in der heyligen Tauffe geheiliget werden. Negat nimirum liberos fidelium parentum esse inde ab utero sanctificatos; sed ideo dici sanctos: quod jus habeant ad sanctificationis fœdus ob promißionem, & quod Deo in sacrosancto Baptismo demum ad cultum divinum ab infantia sanctificentur. Ubi si unicum illud exceperimus de particularitate fœderis & restrictione promissionis ad solos fideles, eorumq; liberos ex absoluto electionis decreto dependens, reliqua sano sensu explicari, & admitti possent; si nimirum capiamus, liberos fidelium parentum habere quidem jus ad rem, hoc est, aditum ad sanctificatio-

nis fœdus : adoq; *gaudere prærogativa præ cæteris liberis parentum extra Ecclesiæ gremium constitutorum*, quo nomine etiam *sancti* recte, sed tamen non *internè* sed *externè* & Ecclesiastica sanctitate appellantur : Nondum vero habere *jus in re ipsa* h. e. non esse in sanctificationis fœdere, vel ante Baptismum *non esse filios fœderis, & filios* Dei : sed obnoxios iræ & maledictioni divinæ. Ob congenitam peccati originalis labem & immundiciem à qua demum per lavacrum Baptismi regenerantur, liberantur, & *specialiter* sanctificantur.

18. Quam explicationem si admiserit Bergius, in ea nil reprehenderemus; Viderit verò, quomodo sine contradictione sententiam suam retineat, & seriò tueatur, si noluerit complicum suorum interpretationes de sanctitate *spirituali & internâ* in infantibus ante Baptismum deserere, aut verò *propriam* eodem ictu *prosternere in disp. de re. sacram. thes.* 88. Ubi negat infantium adoptionem in fœdus, & regenerationem *incipere in ipso* Baptismi *ritu*, sed eum *antevertere*, idq; *ex æterno & absoluto electionis* decreto *thes.* 104. Satis de priori : deveniamus nunc ad posterius.

De Negatione Efficaciæ SS. Baptismatis retenta sanctitate spirituali & interna quo ad infantes fidelium parentum in Schola Calvinianorum.

19. Cient

19. Cient & heic ronchos, crispantq; nares *Calviniani* quoties à nostris accusantur spoliatæ Baptismi efficaciæ, idq; vel ideo maximè, quòd posita sanctitate infantum *spirituali* ac *interna* ante Baptismum, amplius non fiant participes regenerationis & renovationis in Baptismo. Unde sequitur. Baptismum non esse ad salutem, & regenerationem necessarium, Baptismum non conferre fidem, Justitiam, & remissionem peccatorum, sed duntaxat collatam repræsentare, & obsignare. Hanc & non aliam esse Calvinianorum mentem & sententiam supra *disp.* 13. *ostendimus*, & pro re nata confutavimus: ita, ut possemus ulteriori opera supersedere; ne tamen aliquid circa præsentem quæstionem in nobis desiderari patiamur, plenius negationem Efficaciæ Baptismi sensu præmisso in Scholà Calvinianorum subjungemus, idq; propriis eorum verbis, ne de fide nostra quicquam minus dextre, & sincere administrata conqueri necessum habeant.

20. Placet verò universum negocium certis syllogismi cancellis includere, & expedire.

Qui Efficaciam Baptismi sincere credunt, ii etiam credunt. 1. Baptismum *esse* ad salutem necessarium.

2. *Ope-*

2. *Operari* regenerationem. 3. Remissionem peccatorum. 4. Adoptionem in filios Dei, 5. *Sanctificationem, & renovationem, 6. conferre fidem, salutem, & vitam æternam, 7. Consolationem præstare, 8. parere fidei certitudinem &c.*

At vero posita sanctitate *spirituali* ante Baptismum in infantibus fidelium parentum, Baptismum esse necessarium necessitate medii, aut operari illos effectus. V. g. regenerationem, fidem, remissionem peccatorum, adoptionem in filios Dei, &c. Erit impossibile credere.

Ergo posita sanctitate illa: Efficaciam Baptismi Calvinianis credere erit impossibile.

Major à memine nisi extremè impio, & sacris literis infesto, negari poterit ob evidentem, definiti cum definitione nexum, & effectuum Baptismi descriptionem. Vide *disp. 13. thes. 18. de speciali fine Baptismi.* Ubi singula membra ex sacris confirmata deprehenduntur.

Assumtio etiam per se est evidens: 1. sublata enim ante usum Baptismi per sanctitatem *internam & spiritualem* omni immundicie spirituali, & infantibus jam factis fœderis Dei con-

consortibus, ac promissionis filiis, & vitæ æ-
ternæ hæredibus, non erit necessarius Bapti-
smi usus, per quem ceu medium ex statu iræ,
& miseriæ in statum gratiæ transferantur:
Quippe ex quo jam liberati sint ab immundi-
cie, & regenerentur, quoniam mundi & san-
ctificati sint facti, aut per quem filii fœderis,
promissionis & vitæ æternæ reddantur: cum
jam inde ab utero, uti sancti, ita filii Dei, gra-
tiæ, promissionis & hæredes vitæ æternæ eva-
serint.

21. Deinde idem comprobant *Calviniano-
rum* verba aperta & hypotheses manifestæ,
quibus Baptismi Efficaciam vel penitus ne-
gant, vel maximam partem evacuant. Ne-
gant enim:

I. Baptismum esse *necessarium* ad salutem,
necessitate *medii*: Concedunt quidem *Calvi-
niani* necessarium Baptismum ad salutem ne-
cessitate *mandati divini*, Ex Johannis 3. vers. 5.
Cum *Calvin. in Antidot. Conc. Trid. seß. 7. canon.*
5. & Beza *part. 2. respons. ad act. p.* 101. sed non
necessitate *medii & finis*, ac si Baptismus esse
salutis conferendæ medium: Uti disp. 13. an
notavimus contra *Bergii* tergiversationem
aliquot effata Calvinistica, ipsius Calvini *lib.*
4. *Instit.. cap.* 15. *s.* 14. 20. Sadeelis *in respon-
sione ad fidei Profes. Burdegal. articulo* 11. Hisce
addimus *Zwinglium* libro de *vera & falsa reli-
gione*, ubi aperte negat: *Baptismum esse necessa-*
riu

rium ad salutem Mart. Bucer. super cap. 3. Math.
ubi statuit pueros prædestinatos etiam sine Bapti-
smo salvari: non prædestinatos autem cum Bapti-
smo damnari: Calvin. in Antidot. Conc. Trid. ad
eßionem 6. cap. 5. Petr. Martyr. super prim.
Cor. cap. 7. Filios fidelium sine Baptismo salvari,
disertè statuentis. Wittack. lib. 8. contra Ioh.
Dureum Scotum Tom. 1. oper. Fol. 195. ubi se-
quentia leguntur, quanquam dicimus, sine
Baptismo infantes salutem consequi, quos Dominus
ad vitam prædestinavit: Non tamen inutilem Bapti-
smum esse sequitur: Est enim externum adoptio-
nis pignus, quo nullus pius carere lubens velit: Si verò
careat: modò ad Dei æternam electionem spectet:
perire non potest Extitit autem Auctor erroris
hujus dudum Iohann. Wiclef teste Thomâ Wal-
dens. Tom. 2. c. 29.

II. Baptismum esse primum salutis limen; ne-
gat Beza super 1. Cor. cap. 7. Ubi suadet eos re-
futandos, qui ponunt baptismum esse primum
salutis limen: Id. responsion. pag. 2. ad act. colloq.
Momp. negat, Baptismum esse primum ad sa-
lutem aditum: Nec enim piorum, inquit, infan-
tium primus ad salutem aditus est Baptismus, sed
ipsa ex piis parentibus propagatio p. 102. Quam
sententiam non tàm suam privatam unius; quàm
omnium Helveticæ Confeßionis Ecclesiarum esse
scribit part prior. respon. ad act. Colloq. Momp.
præf. p. 6.

III. Baptismum regenerationem con-

ferre baptizatis infantibus, I. negat cum Zwingl. part. 26. oper. ad Carol. V. art. 7. Piscator contra Taufrer. p. m. sic scribens. Ego certe statuo, neminem prorsus sive infans, sive adultus sit, per Baptismum regenerari. Et Beza præfat. part. 1. Resp. ad acta. Non dixi pueros, vel omnes, vel aliquos reipsa in illo baptismi momento regenerari II. quia conferri propriè ea dicuntur quæ antea quispiam non habuerit, inquit Beza, part 2. resp. ad act. p. 62. Infante verò fidelium regenerationem ante Baptismi in utero materno adipiscuntur 1. Cor. 7. v. 14 statim, ac sanctificantur, & in fœdus promissionis recipiuntur: sic explicantibus Calvinianis. Ergo regeneratio infantibus non confertur in Baptismo. III. Quia regeneratio, ut remissio peccatorum in Baptismo duntaxat obsignatur: at quæ obsignantur, ea jam ant habentur, tradente Beza dicto loco: conf ea, quæ disp. 13. in antithes. Calvin. membr. protulimus ex Bergio, Pelargo, &c. IV. Qu in Baptismo non confertur Gratia Dei sal taris: falsum est, inquit Beza, gratiam Bapti omnibus baptzatis infantibus conferri, d. l. p. 6 Falsum est: omnes infantes ritè baptizatos G tiam divinam consequi. Idem Ibid. p. 89. Ill (videl. Jacob. And.) singulis sine cujusqu exceptione, infantibus, ritè baptizatis neces rio fidem, & Baptismi Gratiam magnis clam ribus affirmat; Ego verò, nullis argamentis il

co

concludi posse, *assevero*: Atq; adeo *contrarium*, certis argumentis *statuendum esse contendo*. Beza ibid. addit. *multa millia enim infantum baptizari, qui nunquam regenerantur, sed in æternum pereunt*. Horrendum est igitur profectò tàm *multos & extra* Ecclesiam & *in medio Ecclesiæ sinu perire, an propterea falsum?* Ibid. p. 90. *Non minus falso concluditur: singulos infantes baptizatos regenerari, quàm olim singulos infantes foris circumcisos carne: fuisse quoq; intus spiritu circumcisos p.* 97. V. Quia renovatio non confertur infantibus in Baptismo: Ergo nec regeneratio: utramque enim Spiritus Sanctus conjungit *Tit.* 3. *v.* 5. Dixi, & adhuc dico, inquit Beza, d. l. p. 91. *Renovationem non esse ad Baptismi sive in infantia, sive in adolescentia, collati, momentum restringendum*; sed ab eo demum tempore, *quo Christum actuali verâ fide ex auditu apprehendunt*. VI. Quia virtus producendi Efficaciam aliquam adeoq; regenerationem, Baptismo *nulla* tribuitur à *Calvinianis*: Existimamus, inquit Beza *d. l. p.* 113. manifestam esse *idololatriam*, quà (quod nec ipsorum quidem Angelorum est) nempe *remittendorum peccatorum*; *& renovandi cordis hominum, vis, ad aquam, quantumvis sacramentalem transfertur* VII. Quia regeneratio & reliqua, quæ de Baptismo prædicantur, à Calvinianis explicantur sensu *modificato, improprio*, ac *figurato*. *Impropria, seu figurata* locutio est, inquit Beza, *part*. 2. *ad art*.

 p. 120.

p. 120. *Baptismus est ablutio peccatorum; Baptismus abluit peccata*: Ergo etiam impropria erit & hæc: *Baptismus regenerat, sive confert regenerationem*. VIII. Quia impropriam significationem ad propriam reducentes Baptismi efficaciam in *significativam* resolvunt: Propria, inquit, Beza Ibid. *loquendi forma est*: *Baptismus est signum ablutionis peccatorum*: Ergo propria etiam loquendi forma sit oportet & ista; *Baptismus est signum regenerationis*: Confer cum his *Confess. Helveticam poster. cap.* 20. prior: *art.* 21. in declaratione *Bohemica* cap. 12. Gallic. *art.* 35. & 38. Belgic. *art.* 34. Huic *adde specimen controvers.* Belg. *art.* 34. *p.* 122.

IV. Negant: in actu Baptismi *fidem baptizatis infantibus* conferri. *Vera fides*, inquit Beza, *part.* 2. *respons. ad acta p.* 91. *neq; infantibus tribui* (ut mihi videtur) *potest; neq; necessario cohæret cum Baptismi præbiti tempore*. (Quod si jam tribui infantibus *vera* fides nequit: Ergone ipsis tribuenda erit *falsa*? an autem hâc salventur? Judicent piæ mentes! Cum ne infantes quidem absq; fidei interventu, posse Christo, & ejus beneficiis potiri; fateatur ipsemet Beza *d. l. p.* 98.) Ubi si quæras ex Calvinianis; quò fidem illam *veræ* oppositam in infantibus edisserant, non unanimi sensu eam definient exprimentve: *Beza* cum suis, quos suæ ætatis doctissimos salutat, statuit: non quidem *ipsam fidem actu* infundi infantium

tium intellectui; sed ejus tantum *inchoationem quandam*, *& veluti semen ac radicem* ut & regenerationis in voluntate. Si porrò quæras: per quod *medium* rudimenta ejusmodi fidei infantibus communicentur? an per *Baptismumne?* Negat id *Beza*, confugiens ad *arcanam, & inscrutabilem vim* quandam spiritus sancti. *Vlterius* si quæsiveris ex *Beza*, *utrum ejusmodi fide infantes regenerentur?* Negabit ille, & negat *p.* 103. adeoq; *Lutherum* reprehendit affirmantem infantes *verâ fide actuali* donari, ac eos in intellectu & voluntate in Baptismo *regenerari.* Vide *p.* 99. ipse verò negat, *Deum infantibus ordinariè largiri* πληροφορίαν *in intellectu* & renovationem in *voluntate, & affectibus*: idq; ob defectum testimonii externi & experientiæ, (quasi verò fides, ut & regeneratio necessario incurrat in sensus humanos, iisq; dijudicari necessum habeat!) Vel quod dogma istud nulla certâ ratione stabiliri possit p. 100. (Scilicet juxta illud: Ad legem & testimonium, nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus? Quoniam stultitia Dei est sapientior, quàm homines 1. Cor. 1.) *Porrò* si quærendo progrediaris, *in quo nam illud fidei semen propriè consistat?* Respondet *Beza*: in *admirabili* quidem, *abdito, & inscrutabili*: certissimo tamen illo *Spiritus S. in infantibus opere merè paßivo*, (Quod is in ipsis vigore promissionis ex absoluto decreto dependentis operetur) Quò fit

ut Christi membra nascantur; cujus obedientia ipsis imputata, à mortis reatu ipsos absolvat, & æternâ vitâ per imputatam eandem Christi justiciam, in ipso dignos efficiat; *p.* 103. (Habemus heîc mirabilem ac in sacris ne fando quidem auditum justificationis & salvationis ordinem: scriptura fidei ejusmodi semina ignorat: operationem verò. S. S. immediatam extra casum necessitatis, non agnoscit: multò minùs promissionem aliquam fœderalem ex absoluto decreto suspendit: Deum etiam non sine fide; sed credentibus tantum Rom. 4. *v.* 5. Obedientiam Christi (non verò absolutè) imputare ac justificare eos Clarissimè testatur vers. 12. 13. 14. & 15. Ut insuper membra Christi sine verâ fide nascantur, neutiquam admittit Joh 15. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. *cap.* 14. *v.* 1. 20. Rom. 11. *v.* 20. 23. 24. Ne verò justificatio hæc & salvatio prorsus sine *verâ* fide in conspectu Dei fieri videatur; *Beza* fingit infantes salvari fide vel *Ecclesiæ*; vel *offerentium* eos ad Baptismum; vel *fide parentum*: p. 103. (scilicet juxta illud justus suâ fide vivit vide disp. 13.)

22. *Alii* magis perspicuè loquuntur, contendentes; *infantibus in actu Baptismi neq; veram fidem* conferri, neque *semen* fidei; sed fidem *æquivocam* uti ex *Bergio* supra annotatum: ac sanè non citra absurditatem disp. 13. demonstratum; ubi & *paganismus & profanitas* meritò

in

in *Seraphicis* ejusmodi doctorib. à pietatis studiosis notari debet: *Vna* ex parte, media salutis prorsus destruentibus, ex *alterâ* verò absolutam hominum salvationem adstruentibus ast quæ, quippe sine Dei verbo, facilius in exitium degenerabit ipsorum proprium & multarum animarum perniciem, quotquot exitioso huic Calvinianorum dogmati applaudunt; æquum enim est æquivocè salvari eos qui æquivocè crediderunt, & adhuc credunt.

23. Nobis autem uti *una* justificandi ratio; una & eadem Dei ac Dni. nostri Jesu Christi Gratia Act. *15. v. 14.* Unus *Dominus*, unum *Baptisma:* ita *una fides* salvifica Ephes. *4. v. 5.* sine qua *impossibile* est Deo placere *Heb. 11. v. 6.* ad eumque accedere, ac salvari Marc. *16. v. 16.* Johannis *3. v. 16. 34. cap 6. 53.*

V. Negant ex percepto Baptismo firmum solatiũ hauriri posse à quoquam.

Sic enim Piscator *in Apolog. contra Taufrerum p. m. p. 81. de absoluto decreto reprobationis:* Ego certè statuo, *neminem prorsus sive infans, sive adultus sit, per Baptismum regenerari.* Quare *nec ex hoc principio anxiam mentem erigere necessum habemus.* Rationem reddit Zvving. *lib.*

de pec. originis ſcribens, quod *ſigna nihil, quàm externæ res ſint, quibus in conſcientia* nihil efficiatur. Hinc *Beza* præſumere jubet parentes, liberos ipſorum in gratiam, (dum Baptizantur) eſſe receptos, *tum* ut *in Eccleſiâ* natos; *tum ut Baptizatos part. ſec. ad act. Momp. p. 92.* Ratione reddita *p. 101.* Quia *omnes qui baptizantur infantes indefinitè electi ſint præſumendi:* Ubi verò anxia mens ſolatium hocce vanitatis redarguet inferendo: *Ex falſa opinione, vel parum vel nihil ſolatii me ſentire poſſe.* Jam verò *omnes* qui baptizantur infantes, *indefinitè electos eſſe, eſt falſiſsima* opinio: imo in veſtrâ Scholâ prorſus *contradictoria:* ſic enim pag. *90.* Sonant verba *Bezæ: Multa millia infantum Baptizari, qui nunquam regenerantur; ſed in æternum pereunt.* Et poſt: *Horrendum eſt igitur profectò, tàm multos, & extra Eccleſiam & in medio Eccleſiæ ſinu perire; ſed an propterea falſum?* Quomodo ergo ex eo *quod horrendum eſt* me ſolari potero? Confer *p. 122. 124.*

VI. Negant: quemlibet noſtrum *ex percepto, Baptiſmo poſſe certum eſſe de propriâ ſalute.* Sic enim *Beza* dicto loco

pag. 103. Promissionis inquit, *applicationem ad singulares personas* (baptizatas) *præsumere* quidem possumus, ac debemus Dei voluntate freti: *affirmare* verò *aliter, quàm probabiliter, & cum conditione nobis incompertâ*; non scientiæ alicujus fuerit; sed *meræ audaciæ & temeritatis*, & post: salutem nostram hactenus à *Baptismo non suspendimus*, ut nec *ipsius salutis fundamentum ab illo inchoamus.* (Ubi jam consistet illud, Baptisma nos salvat *1. Pet. 3. v. 21.*) Nec enim *piorum infantibus primus ad salutem aditus est Baptismus.* Idem *Ibid. p. 102.*

VII. Ob *divisionem* Baptismi in *internum, & externum*, denegant, Efficaciam Baptismo aquæ, quem illi *Externum* nuncupant; *Interno* vero eiq; *occulto* in totum deferunt; sic enim Trelcatius *L. C. lib. 2. pag. 194. Efficacia* inquit, *non Baptismo externo, aut elemento aquæ adscribetur*; sed *sanguini Christi & Baptismo interno spiritus, qui occultâ operatione Gratiam illam invisibilem confert quæ externo Baptismo figuratur.* Calv. *lib. 4. Inst. cap. 17.* edit. *Geneven. Anno 50.* non significare voluit (Petrus) *ablutionem, & salutem nostram*

aquâ perfici, aut aquam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere; (neq; heic salutis causam) sed duntaxat *talium* donorum *cognitionem & certitudinem* in sacramento percipi: & post: *Quis ergo nos aqua ista mundari dicat, quæ certò testatur, Christi sanguinem verum esse atq; unicum nostrum lavacrum?* Confer Confess. Helvet. *poster. cap. 20.* Bohem. *cap. 12.* Gallic. *art. 38.* Belg. *artic. 34.* Bezam *part. 2. ad act. Colloq. Momp. p. 43. 44.* & sequentibus.

24. Hæc fusius aliquanto allata, omnem *Lucifugæ* tergi-versationem in fumum redigunt; persuadentis imperitioribus, in Scholâ *Calvinianorum Efficaciam Baptismi minimè extenuari, vel elevari*: Nec sufficienter Efficaciam Baptismi describit ab *obsignatione p. 32. 33.* Omissis nobilissimis aliis ejusdem partibus v. g. *Regeneratione, Renovatione, Iustificatione, sanctificatione, salvatione,* peccatorum *remissione*, à morte & *Diabolo liberatione &c.* Ubi Efficacia illa non est detrahenda aquæ in Baptismo, ac soli *sanguini* Christi adscribenda; secùs ac cum *patriarchis* suis nugatur *Lucifuga*: (ut u

veter

veteratoriè: credere namq; non poteſt, Chriſti ſanguinem præſentem eſſe in Baptiſmo; Quî igitur & quâ conſcientia urget ipſius Efficaciam) ſed utriq; conjunctim. *Vnum* enim Baptiſma: ſic *unus* baptizans, *Christus* per miniſtrum non *duo* baptizatores, uti futiliter garrit *Beza*; *Vna & eadem* Efficacia, quæ tamen non incommode cauſæ principali *primariò*, inſtrumentali verò *ſecundariò* tribuitur.

25. Corollarii & *conſectarii* loco *triplex* mendacium à Lucifugâ commiſſum eſſe, notamus.

I. Nos *in eo cum Calvinianis conſentire; quoties docent, non aquam; ſed ablutionem in Christi ſanguine, & ſpiritu S. mundare nos ab omni peccato, nosq; ſalvare* p. 34. circa finem. R. Diverſum verò noſtrates docuiſſe hactenus, & adhuc docere ſcripta omnium *tum* publica; *tum* privata, apertè teſtantur; nec integrum eſt cuipiam in noſtris Eccleſiis Unum Baptiſma in duos ſacrilego auſu diſcerpere, ac *externo* omni, Efficaciâ ſpoliato; eundem ad *internum* eumq; *ſolum* devincire. Putida hæc ſunt Calviniſtici ſpiritus,

pro-

propria commenta; â nostraq; sententia vel mille para sanguis distantia.

II. *Nos in gratiam Exorcismi Calvinianis affingere ac si negent tum peccatum originale; tum Efficaciam Baptismi p. 33.*

R. I. Quo loco Exorcismus in nostris Ecclesiis habeatur, habendusq; sit; supra sufficienter indicavimus: ubi non opus habent aliquo commento ad eundem stabiliendum, retinendum, & liberè usurpandum: uti quidem Calvinianis plurima esse necessaria lubricarum hypotheseων vice, ad salvanda sua in Theologicis Phænomena, & placita absurda, ceu suo loco dictum.

R. II. *Calviniani* ex suo ingenio de nostra doctrina judicant, ipsorum namq; proprium est, *in gratiam absoluti decreti & sanctitatis spiritualis, ac internæ* in infantibus fidelium parentum, negare *tum* peccatum originale; *tum* Efficaciam baptismi. Jam verò hoc artificium nobis affingunt, ac splendidè mentiuntur: nos in gratiam *Exorcismi* affingere Calvinianis negationem peccati Originalis, & Efficaciæ baptismi.

R. III. Calvinianis aliquod ho-


rum


rum esse affictum ; testimonia & placita ipsorum turpiter in faciem *Lucifugæ* nostro contradicunt, nosq; ab omni criminatione absolvunt. Experiatur quæsumus, vires suas *tenebrio*, & periculum faciat, num quod de sententia Calvinisticâ asseruimus, non in verosimilium censu habere; sed falsitatis convincere possit.


III. Mendacium est, nos *usum Exorcismi ideò adhibere, ut persuadeamus simplicioribus ; vi Verborum ejusdem ; ex templo Cacodæmonis confestim* (in einem Huy) parari, & fieri templum Dei Spiritus S.

R. Ubi Candor, ubi frons tua *tenebrio*? Quo quæso, interprete didicisti vim verborum Exorcismi ejusmodi in Ecclesiis nostris obtinere ? Cedo *librum* ? monstra *paginam*? indica *auctorem* hujus interpretationis ; si potes ; si non potes : de fine imposterum falsum dicere testimonium contra proximum tuum.

Soli Deo gloria.






Biblioteka Jagiellońska

